ELECTORATVS
BAVARICVS

NICOLAI BVRGVNDI. I. C.
CÆSAREÆ MAIESTATIS, ELECTORISQVE BAVARIÆ CONSILIARI ET HISTORIOGRAPHI, COMITIS PALATINI; NECNON PROFESSORIS CODICIS IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI

ELECTORATVS BAVARICVS

SIVE

APOLOGIA

CHRISTOPHORI GEWOLDI DE SEPTEMVIRATV

ADVERSVS ANONYMVM

Subiecta est explicatio l. leges & constitutiones. 7. C. de legib.

INGOLSTADII,
Ex officinâ GREGORII HAENLINI.
Anno Domini M. DC. XXXIV.

AVGVSTISSIMO ET INVICTISSIMO

IMPERATORI

FERDINANDO II.

REVERENDISSIMIS ET ILLVSTRISSIMIS

NECNON

SERENISSIMIS

PRINCIPIBVS

S. R. I.

SEPTEMVIRIS

APologiam hanc, AVGVSTISSIME CÆSAR, MAGNI PRINCIPES, inter Martiales clangores natam, innocuis Musarum armis instructam, multorum maleuolentiæ, spiculisque expositam, velut in asy-

lum & tutelam, ad tribunal Ve-ſtrum coëgi: vt omnes illas ca-lumnias iuſtiſsimo calculo dam-netis, quibus BAVARICVM ELE-CTORATVM, dum quidam ferre non poſſunt, armato ſtilo co-nantur conficere. Quippe Ve-ſtra maximè intereſt. Vos enim ELECTORATVM ſuum reſtituiſtis Bauaro: Vos in eâ domo repo-ſuiſtis, vnde ſuperiorum tempo-rum error atque iniuria conglu-tinatum detraxerat. Veſtram igitur cauſam ago. Veſtram hîc ſententiam defendo: vt tandem aliquando totus terrarum orbis intelligat, nihil à vobis virtuti-bus

bus datum, nihil felicitati indultum, non omnino meritis expressum, cùm dignitatem alienam, inter inimicorum spolia iacentem, ad pristinum reportâstis dominum. De Vestro iudicio securus, fœdas illas aues ferre non possum, tam sancta turbantes auspicia. Maiestatem Tuam CÆSAR obtestor, Clementiæ Vestræ MAGNI PRINCIPES sacramentum dico, me, dum hæc scripsi, alienis auribus nihil tribuisse, nihil ad gratiam vel adulationem composuisse. Quamuis sub principe meo Bauaro viuam, atque illi quoque

hoc

hoc opere probari cupiam; causam tamen, non fortunam spectaui, nudamque veritatem in medium produxi cum petulanti calumniâ litigantem. Patimini itaque, libellum hunc, inter tot armorum strepitus, curarumque publicarum moles, secretum Vestrum intrare; hactenus supplicem: deinde, si placuerit, pro donario admittite. Ingolstadij, postridie Cal. Nouemb. Anno M. DC. XXXIII.

ÆTERNITATI VESTRÆ

Deuotus

Nicolaus Burgundius.

NICOLAI BVRGVNDI I. C.
CÆSAREÆ MAIESTATIS ELECTORISQVE BAVARIÆ, CONSILIARI ET HISTORIOGRAPHI, COMITIS PALATINI; NECNON PROFESSORIS CODICIS IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI

ELECTORATVS BAVARICVS

SIVE

APOLOGIA

CHRISTOPHORI GEWOLDI

DE SEPTEMVIRATV

ADVERSVS

ANONYMVM

CHriſtophorum Gevvoldum, virum in Germanicâ antiquitate accuratiſſimum, vel vnus ille libellus quem de Septemuiratu ſcripſit, publica celebritas poſteri-

tati commendat. Nemo ferè Musarum limina tam negligenter calcauit, qui non libauerit: nemo tam parcus in laudando fuit, qui in præconium eius non eruperit. Et tamen hodie post tot eruditorum præiudicia, nescio quis, magnâ & procaci stili libertate in opusculum illud atrocissimè detonuit, publicóque iudicio accusatum, ausus est etiam ad damnationem iudicibus obtrudere. Sed nunquam tam bene cum ingenijs agitur, vt omnibus placeant. Si auctor ipse adhuc inter homines ageret, partum suum nullo negotio vindicare posset ab iniuriâ, errorúmq; nebulas quæ aduersarium deceperunt, irato calamo discutere. Quia autem ille iam loqui desijt, partes meas esse duxi consurgere ad defensionem, tutelámque à cæteris desertam, iure quasi publico suscipere: ne innocentia in ius vocata sine patrono laboret, & sub fasce cauillationum ingemiscat depressa veritas.

Vos Reges, vos Principes, vos quotquot

quot estis litterarum & veritatis studiosi, vos inquam appello, ad vestrum tribunal causam defero. Videte, conferte quæ opposui, & de totâ lite sine præuaricatione vel affectu decernite.

Ante omnia tamen obtestor, me in alienum ruborem stilum non acuere. Apage isthæc inuerecunda malignitas. Vnum meum est propositum, maiorum suorum ornamenta armato calamo Bauaris restituere, quæ Antagonista noster Palatinis assignat. Nemini tamen, dum hoc facio, iniuriam inferam. Nam quotquot hodie sunt Palatini Comites, originem suam debent Bauaris, & Ludouicum Seuerum Bauariæ Ducem eundem omnes progenitorem agnoscunt.

Imperio à Caroli Magni posteritate auulso, vniuersi Proceres ad comitia admissi, rerum summæ caput destinare consueuerant promiscuis suffragijs. Sed ne in tantâ multitudine, studia Procerum in contrarium distracta, intestinis armis inuolue-

rent Germaniam, Otto Tertius, ſub initia imperij factiones Procerum, Henrici Bauari æmulatione expertus, huic incommodo primus occurrit. Stimulante quippe Gregorio Quinto Pontifice Maximo, natione Germano, & proximo ſanguine ſibi annexo, Apoſtolicæ ſedis auctoritate Electores inſtituit, penes quos eſſet in poſterum & ſola, & tota eligendi poteſtas. Hæc ſunt incunabula Septemuirorum, in quibus fundatum eſt Romanum Imperium, quod per ſexcentos annos & amplius inconuulſum ſtetit. Hæc eſt eorum origo, quæ in hanc vſque ætatem, ex antiquâ necdum ſatis refutatâ traditione deſcendit. Excute Theologos, excute iuriſconſultos, Politicos & Hiſtoricos excute, centum & amplius inuenies, qui eò referant hoc exordium, & inter illos admodum multos, in quibus nec ætatem, nec ſcientiam deſideres. Nihil opus eſt enumerare ſingulos. Eſſet enim actum agere, ſtomachóque lectoris creare faſtidium.

Hoc

Hoc ante me fecerunt multi, & in primis noſter Antagoniſta veterum ſcriptorum ſententias, alienâ diligentiâ collectas, fideliſſimè recenſuit. Pauci tamen ſunt, qui contrariam ſententiam amplexi, à ſanctiſſimâ illâ antiquitatis reuerentiâ fecere diuortium. Sed & hi de tantâ re diſcordes, non magis à nobis, quàm à ſe ipſis diſſentiunt. Decem & amplius ſententiæ numerantur, omninò diuerſæ, omninó contrariæ. Quidam ex illis Carolo Magno, quidam Conrardo Salico originem imputant. Sunt qui ad Fredericum Primum, ſunt qui ad Fredericum Secundum, vel Rudolphum Primum initia reijciunt. Quibus argumentis ipſi viderint. Nec enim refutare eſt in animo, cum Scardium, *a* Gretſerum, *b* & Gevvoldum *c* exactiſſimâ curâ exploſiſſe videam. Neq; mihi denique hac de re cum aduerſario rixa eſt. Eâ enim in parte nobis accedit, diſertiſque verbis, Ottonem Tertium huius inſtituti auctorem agnoſcit.

a tractat. de Princip. quib. electio in Germ. com̃. eſt.

b defenſ. lib. 3. cap. 12. de Septemuir. elector. imper.

c de Septemuir. cap. 7.

 De

De eo & ſolo litigamus, vtrum Electoratus ipſo iure ad domum Bauaricam, an Palatinam pertineat. Nos ad Bauaricam ſpectare meritò contendimus. Oſtendam enim primum, ad Principes Bauariæ ſpectaſſe à ſuâ origine: deinde in eodem Principatu continenter perſeueraſſe, vſque ad Caroli Quarti Imperatoris ætatem: poſtremò inde non potuiſſe auelli. Hæc cum docuero, aduerſarij telis armatus occurram, vulneribúſque medebor, quæ tantâ cum proteruiâ veritati inflixit.

Ergo vt ab origine incipiam, nihil certius, nihil verius, quàm munus Electorale á primâ ſuâ inſtitutione Dapiferi officio, quaſi vinculo quodam adamantino fuiſſe coniunctum. *d* Quæris quis huius rei ſit teſtis? idem qui nobis acerrimus aduerſarius. *e* Hinc tritum illud, & in ore omnium, Palatinus eligit, quia Dapifer: Dux Saxoniæ, quia Mariſchalcus, Marchio Brandeburgenſis, quia Camerarius: Rex Bohemiæ, quia Pincerna. Non eligit Palatinus,

d VVindeke. de elect. Imp. cap. 1.

e in ſuo diſcurſu ad reſp. argum. 2.

tinus, quia Comes: non eligit, quia Palatinus: ſed ideo eligit, quia Dapifer eſt. Dapiferum Imperij eſſe oportet, qui hanc ſibi prærogatiuam vindicat. Et ideo in vetuſtis annalibus, haud alio fere titulo Electores, quàm Officiati, vel Officiales appellantur: quod maiores noſtri probè intelligerent, Electorale munus officio annexum.

Cum enim Caroli Magni, & ſequentium Imperatorum ætate, Palatina illa officia Dapiferi, Mariſchalci, & Camerarij, perſonalia eſſent & arbitraria; Otto Tertius perpetua & hereditaria fecit: *f* certo denique territorio affixit: *g* & imperij feuda Electorali munere adornata conſtituit. *h*

f Freher. de origin. Palat. part. 1. c. 15.
g Molinæ ad conſuet. Pariſ. tit. 1. in princip. n. 6.
h Martin. Hofman. in Chronic. Bambergen.

Hæc cum ita ſe habeant, mi Antagoniſta, quid tibi videtur? Libet enim te tanquam præſentem, & in conſpectu poſitum deinceps alloqui. Quid ſi oſtendero, officium Dapiferi ſemper ſpectaſſe ad Bauaros, vel Ducatui Bauariæ fuiſſe annexum, nonne habemus quod quærimus?

Henri-

Henricum Rixosum Bauariæ Ducem Ottonis Tertij Dapiferum fuisse liquidò constat. Viñ scire vnde? ex Ditmaro, *i* ex Georgio Fabricio, *l* ex Andreâ Brunero. *m* Vis amplius? ex tuàmet confessione constat. Habemus ergo Dapiferum Bauarum Ottonis Tertij ætate: & habemus quidem sine contradictione. Habeas, inquis, quid postea? Idem enim Otto deinde mutauit hæc omnia. Itanè verò? Vnde id probas? nullum certum adfers indicium. Quò enim confugisti inopiâ argumentorum? ad vanas & nescio quas coniecturas, quibus respondebo post paullò. Hoc vnum nunc dico, si coniecturis agendum est, causâ cadis, victoria nostra est. Conueniamus obsecro inter nos, in cuius persona acciderit ista mutatio. Num ademptum putas Dapiferatum Henrico Rixoso, an negatum filio eius Henrico Sancto? Vtrum vis? Dices Rixoso fuisse ademptum? Non est credibile Ottoni Tertio in mentem vnquam venisse, vt suum Bauaro officium eri-

i Chronic. lib. 4.
l Lib. 1. de Origin. Saxon.
m Part. 2. lib. 8. annal. Boicor.

eriperet. Quid ita? Quia ſine contumelia eius fieri non poterat. Contendis Bauarum extruſum de poſſeſſione: aut hoc iniurioſum eſt, aut non intelligo. Da mihi Principem aliquem tam mitis animi, qui contumeliam non ſentiat: da tam puſillanimum, qui ſi poſſit, non vlciſcatur. Alterum horum fatearis neceſſe eſt, aut diſſimulaſſe Bauarum, aut vindicaſſe. Vis diſſimulaſſe? ab ingenio eius aberras: Rixoſus erat, non Philoſophus. Iniurias philoſophi concoquere ſolent, Principes non ſolent. Vis igitur vindicaſſe? Peccas in hiſtoriam. Nam ex quo cum Ottone Tertio in gratiam redijt, quietum & tranquillum in flagrantiſſimâ eius gratiâ vixiſſe legimus: vſque adeo, vt cum antea diceretur Rixoſus, Pij poſtea nomen acceperit. Quid ergo? Si Ottonis maieſtatem ſanctiſſimè obſeruauerit, ſi pacem & amicitiam cum illo coluerit, nihil ei planè ademptum oportuit, quod manente concordiâ eripi non poterat.

Supereſt igitur vt reſpondeas, Henricum ſanctum non ſucceſſiſſe patri in Dapiferatu. Sed id multò incredibilius videtur. Quamuis enim ante Electorum inſtitutionem, officia illa necdum facta eſſent hereditaria: conſuetudine tamen inualuerat, vt ſi digni eſſent liberi, in parentum locum ſubrogarentur. De Henrico Sancto quæro quid ſentias? An is, qui potentiſſimum Ducatum à Patre acceperat, qui magno armatorum numero proficiſcentem in Italiam Ottonem ſecutus fuerat, qui caput eius protexit, qui à Romanis in prætorio obſeſſum, ſummo cum vitæ ſuæ diſcrimine liberauit, & præſentiſſimo mortis periculo eripuit, is inquam Dapiferatu tibi indignus videtur? Cui ſucceſſio potius debebatur quàm Duci, & filio? qui magnitudine & potentiâ, qui gradu & loco cæteros omnes Principes antecedebat? qui regio ſanguine ortus, & agnationis vinculo Ottoni iunctus, prouinciæ præerat, quæ Carolinorum ætate in nomen re-

gni

gni ſedemq; conceſſerat, & primum ſemper Imperij ſtatum fecerat? Confer iſta, & vide, quàm procul diſtent à tuâ coniecturâ. Sed quid ais? Henricus Sanctus à paterno officio excluſus fuit? Dic quare. Fruſtra enim contendis contra maiorum conſuetudinem factum eſſe, quod nullam habuit cauſam vt fieret: immo quod ſine Bauari contumeliâ, ne dicam ſcelere fieri non poterat. Scire deinde velim, cum Electoratus officia inter Proceres Otto diſtribuit, vtrum Henricum Sanctum, & ſibi fideliſſimum, & florentiſſimum iuuenem, gloriæque & ambitionis ſtimulis in illâ ætate non mediocriter pulſatum, præterire potuerit ſine iniuriâ? Si nemo hoc dicturus ſit, quis in animum inducere poteſt, tam ingratum extitiſſe Imperatorem optimum, vt chariſſimo ſibi capiti, pro ſummo beneficio, ſummam referret contumeliam? Quo animo laturum id Henricum fuiſſe exiſtimas? ægerrimo certè. Sed nullum indignationis indicium oſtendit,

nullam iracundiæ aut doloris vocem edidit, de pristinâ amicitiâ nihil detraxit. Quin immo suâ virtute, suis consilijs, sui capitis periculo Imperatorem ab interitu vindicauit. Vis amplius? Viuo adhuc Ottone delatum sibi consensu Procerum Imperium constanter repudiauit. Putas'ne tam insigni contumeliâ violatum, in hæc obsequia potuisse descendere? aut in illâ turbulentissimâ tempestate pietatem & fidem sine hæsitatione conseruare? Cæteri mortales dum Imperium affectant, ne amicis quidem parcere sustinent; ille dum vltro sibi deferretur, acerrimum inimicum reformidasset violare? Fingamus tamen Ottonem Tertium simile quid voluisse tentare. Quid tandem Gregorius Pontifex Maximus, cuius auctoritate Electores instituti sunt? Illéne præteriturus erat Bauarum, sanguine sibi & amicitiâ coniunctum? Nam Gregorij Quinti proauus, atque auus Ottonis Tertij, & Henrici Sancti fratres fuerant, quorum stemma hìc subijcio. HEN-

HENRICVS AVCEPS

- OTTO MAGNVS
  - OTTO SECVNDVS IMPERATOR.
    - OTTO TERTIVS IMPERATOR ſine Liberis.
  - LVDOLPHVS.
    - OTTO DVX SVEVIÆ ET BAVARIÆ.
- HENRICVS DVX BAVARIÆ.
  - HENRICVS RIXOSVS DVX BAVARIÆ.
    - HENRICVS CLAVDVS alias SANCTVS DVX BAVARIÆ ET IMPERATOR ſine Liberis.
    - HENRICVS IVNIOR DVX BAVARIÆ.
    - CONRARDVS DVX CARANTANORVM.
      - CONRARDVS SALICVS IMPERATOR.
      - CONRARDVS DVX CARANTANORVM Et competitor Conardi Salici.
    - BRVNO PONTIFEX MAXIMVS alias GREGORIVS QVINTVS.
    - WILHELMVS EPISCOPVS ARGENTINENSIS.

Ego ſanè ſic exiſtimo, ſi neque tanta ingratitudo in optimum Imperatorem cadere queat: neque ægritudinis ſigna in Henrico emicauerint, perſpicuum eſſe, neque ei quidquam ereptum quod iure quaſi ſuo vindicare, neque ab Ottone quid-

quam prætermissum, quod ad dignitatem eius augendam spectare poterat. Vides ergo, si coniecturis agendum est, verissimum esse quod paullò ante dixi, conclamatum esse de tuâ causâ.

Sed desinamus aliquando ea scrutari, quæ sunt inania ad plenam probationem. Possum omnia liquidò ostendere. In hac re nihil coniecturis est opus. Volo contumaciam tuam verberare fortiori ariete: volo certissimis argumentis causæ nostræ iustitiam astruere.

Dic mihi, quando Henricus Sanctus Ottonis Tertij successor, comitatum Bambergensem in episcopatum erexit, nonne Officiales & Electores Imperij, simul Officiales & vasallos constituit Bambergensis Ecclesiæ? Nonne certa feuda singulis assignauit, quæ eo nomine & titulo, ab Episcopo Bambergensi in clientelam acciperent *n*? Ea res est celebratior, quàm vt probatione indigeat: cùm te maximè nec velle, nec posse negare videam. Nihil enim

n Martin Hofman in Chronic. Bamberg. Gevvold in Septemuir. cap. x.

nim respondisti ad hoc argumentum. Neque hæc feuda adeo sunt in obscuro, vt nullum sui reliquerint monumentum, aut memoriam. In Frehero tuo vestigia inuenies *o*. Sed esto, inquies, constituerit hoc Henricus Sanctus. Quid inde sequitur? Quid? id ipsum quod maximè quærimus. Vide obsecro, cum id concedis, an non & illud concedas oportet, Dapiferatum Imperij Henrici Sancti ætate, spectasse ad Bauaros. Nam cum Dapiferatus Imperij annexus fuerit Dapiferatui Bambergensis Ecclesiæ: Bauari fuerunt, non Palatini, qui ab Henrico Sancto Bambergensis Ecclesiæ Dapiferatum adepti sunt. Quæris vnde id colligam? Nempe ex eo colligo, quod ciuitates in Nortgoiâ sitæ, super quibus fundatus est Dapiferatus Bambergensis Ecclesiæ, semper spectauerint ad Bauaros, ad Palatinos verò nunquam, nisi ex quo in vnam eandemque concessere familiam. Paucis id tibi demonstrabo. Hermanno Comite Palatino Rheni

o Origin. Palatin. Lib. 1. cap. xv.

Rheni ſublato, Fredericus Primus Palatinatum Rheni vti optimus maximuſque fuit, circa annum MCLX. *p.* Conrardo fratri ſuo in fidem & clientelam contulit. Nunquid tunc Dapiferatum Eccleſiæ Bambergenſis poſſedit Henricus Leo Dux Bauariæ? Conſtat id, & liquidò conſtat. Quoniam anno demum MCLXXX. Fredericus Primus Henrico eripuit. Et vt totam hiſtoriam breuiter accipias, Henrico Leone Bauariæ Duce tertio calend. Iulij anno MCLXXX. in publicis comitijs Ratisbonenſibus criminis læſæ maieſtatis accuſato & proſcripto, Fredericus Imperator beneficia ferè eius omnia in Principes tranſtulit, quos abſente ſe bello afflixerat: Dapiferatum tamen Bambergenſis Eccleſiæ ſibìque & poſteris reſeruauit, eoque nomine inueſtituram accepit ab Epiſcopo *q.* Cæſo autem Conrardino in Italia, Berchtoldus Epiſcopus deuolutum rurſus ad Eccleſiam Dapiferatum, Ludouico Bauariæ Duci iure quaſi poſtliminio reſtituit *r.*

p Vide diploma 75. à Gevvoldo allegatum cap. 6.

q Vide diploma apud Gevvold. c. 10.

r Vide ſupradict. diplom.

Age

Age nunc mi Antagonista, & expende, quomodo Electoratum Palatinatui Rheni possis assuere. Si Fredericus Imperator omne ius Palatinatus Rheni Conrardo fratri suo transcripserit, qui sit, quòd Conrardus non acceperit Dapiferatum Ecclesiæ Bambergensis? An non is qui feudum alicui tradit, omne ius simul tradere intelligitur feudo annexum, nisi quid specialiter exceperit? Fredericum Imperatorem nihil sibi reseruasse constat: & tamen Dapiferatum Ecclesiæ Bambergensis ad Conrardum non peruenisse constat quoque. Quomodo igitur Dapiferatum Imperij cum Palatinatu Rheni copulatum fuisse potes dicere: cum ibi Dapiferatum Imperij fuisse necesse sit, vbi fuit Dapiferatus Bambergensis Ecclesiæ? Erant enim ex olim coniuncti atque vniti ab Henrico Sancto. Vbi autem fuit Dapiferatus Bambergensis Ecclesiæ, cum Fredericus Primus Palatinatum Rheni in fratrem contulit? nonne penes Henricum Leonem Ducem

Bauariæ? Ideo enim Berchtoldus Episcopus, Ecclesiæ suæ Dapiferatum Bauaro restituit, quia Fredericus Primus eundem à Bauariâ auulserat. Quid igitur adhuc dubitas, Dapiferatum Imperij à primâ Electorum institutione spectasse ad Bauaros, cum eò spectauerit annexus illi Dapiferatus Bambergensis Ecclesiæ? Ex constitutione Henrici Sancti, nemo potuit esse Dapifer Bambergensis Ecclesiæ, nisi esset Dapifer Imperij. Ante separationem Frederici Primi nemo inuentus est Dapifer Bambergensis Ecclesiæ præter Bauarum. Oportuit igitur Bauarum fuisse & Dapiferum, & Electorem Imperij. Nam si Dapiferatus Bambergensis Ecclesiæ cum Dapiferatu Imperij coniunctus fuerit: Dapiferatus autem Imperij cum Electoratu: cum quid horum in controuersiam cadit, dicendum est, ad eum spectasse hæc omnia, qui vel vnicum officium ex istâ catenâ suum fuisse possit ostendere. Ecce ambigitur ad quem spectet Electoratus Imperij. Da mihi ali-

hi aliquem ex Palatinis Rheni Ecclesiæ Bambergensis Dapiferum ante Frederici Primi tempora, & in hac tibi rixâ palmam concedam. Da mihi, inquam, aliquem. Non potes? Quare non potes? adeone res incerta est, aut obscura? Non. Cur igitur? nisi quòd neminem habeas? Sed ego iam perspicuum feci, Dapiferatum illum spectasse ad Bauaros. Confitearis igitur necesse est, Bauarum ex tunc & Dapiferum fuisse, & Electorem Imperij.

Sed quid ego tam anxiè hac in lite disputo, cum à multis sæculis transierit in rem iudicatam? Habemus authenticum instrumentum ad manum, quod statim & euestigio totum negotium pro nobis decidere, & contumaciam tuam comprimere potest. Nega si potes, publicum est. Quid dico publicum? immo plusquam publicum, quod Rudolphi Primi Imperatoris & tot amplissimorum testium signa corroborant. Intuère diligenter, & examina, circumfer oculos in omnem partem,

vtrum latebras, & effugium, vel cauillandi materiam inuenias. Quid multis? cedò diploma.

Rudolphus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, uniuersis præsentia inspecturis: in perpetuum declaramus, quod præsidentibus nobis curiæ, apud Augustam idibus Maij solemniter celebratæ, & constitutis ibidem in præsentiâ nostrâ Illustrißimorum Principum Ottokari Regis Bohemiæ nuncijs, & Henrici Ducis Bauariæ procuratoribus, subortâq; inter eos quæstione super quasi possessione iuris eligendi Romanum Regem, per procuratores prædicti Ducis Henrici, & Illustrißimum Ludouicum Comitem Palatinum Rheni Ducem Bauariæ, filium nostrum charißimum, fuit propositum RATIONE DVCATVS BAVARIAE *hoc eis competere* EX ANTIQVO. *Idemq; noster filius Ludouicus, coram nobis, cunctisq; Principibus, Prælatis Baronibus, militibus & uniuerso populo qui eidem curiæ aßidebant, extitit publicè protestatus, quod prædictus Dux Henricus*

frater

frater ipſius, olim electioni inclyti Richardi Romanorum Regis noſtri prædeceſſoris, vnà tum ipſe præſentialiter, cum cæteris Principibus Coëlectoribus interfuit, & in eum vterq; direxit votum ſuum legaliter, eundem in Romanum Regem vnà cum alijs comprincipibus ius in hoc habentibus, eligendo. Deinde verò electionis tempore apud Francofurt de nobis ab omnibus Principibus, ius in electione habentibus, concorditer celebratæ, per nuncios & procuratores eiuſdem Ducis Henrici, videlicet Henricum Præpoſitum Oetingen, & Fredericum rectorem Eccleſiæ Landtshut, ipſius abſentiam propter impedimenta legitima legitimè excuſantes, præſente venerabili Berchtoldo Bambergenſi Epiſcopo, procuratore prædicti Regis Bohemiæ, & contradicente quidem ipſis procuratoribus: ſed ipſius contradictione à Principibus Electoribus omnibus tam Eccleſiaſticis quam ſæcularibus non admiſsâ, in dictum Ludouicum Comitem Palatinum Rheni noſtrum filium, vnà cum alijs Principibus omnibus qui in nos direxerant

sua vota, prout iam dicti procuratores in mandatis receperant, concorditer extitit compromissum, qui commissum eiusmodi in se recipiens, suo & dicti Henrici Ducis fratris sui, ac omnium aliorum Principum ius in electione habentium auctoritate & nomine, in Romanum Regem solenniter nos elegit, vocibus eorundem fratrum Ducum Bauariæ, Comitum Palatini Rheni RATIONE DVCATVS *pro vnâ, in septem Principum ius in electione Regis Romani habentium numero computatis, prout etiam in prædicta Curia Augustensi, viuæ nostræ vocis eloquio, vtrique ipsorum in præsentia nunciorum præfati Regis Bohemiæ, videlicet venerabili Wernhardo Seckouiensi Episcopo, magistro Henrico Præposito Werden, N commendatore domus Teutonicæ per Austriam, & Wolfango Magistro Hospitali sancti Ioannis de Murperge, ac omnium ibidem præsentium Principum Prælatorum ac Baronum recognouimus, & recognoscimus manifestè. In huius rei testimonium ac perennem memoriam prædictorum, præsentes eis litteras donaui-*

donauimus, nostro Regali sigillo, necnon subscriptorum testium sigillis munitas. Qui sunt, Hartmannus Augustensis Episcopus, Hiltprandus Eistetensis Episcopus, Henricus Tridentinus Episcopus, N. de sancto Gallo de Augea Abbates, Rudolphus Cancellarius noster. Ex laicis verò filius noster Ludouicus Comes Palatinus Rheni Dux Bauariæ, Philippus Dux Karinthiæ, Meinhardus Comes Tyrolensis, Fredericus Burgrauius de Nurnberg, Henricus Marchio de Burgraue, Vlricus de Helfenstain, Ludouicus de Oetingen, Albertus & Buchardus de Hohenberg, Henricus de Fustenberg, Tybaldus de Pirreto, & Ludouicus de Hochenberg, comites. Henricus & Berchtoldus de Niffen, Albertus de Pruckperch. Hermannus de Haginginberg, Wolckmarus de Chemnaten, & Marquartus filius suus, Winthardus Secundus de Rorbach, Henricus de Prisingen, & alij quam plures. Actum & datum Augustæ, anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Ducentesimo septuagesimo quinto, Regni verò nostri anno secundo.

Quid vis amplius? quid planius? quid aper-

apertius? si hoc diploma causam tuam non iugulet, non video quid ad plenam probationem possit sufficere. Totamque causam intentis oculis contemplare. Ottocarus ambitiosus & efferus iuuenis, cum Henrico Bauariæ Duce à frequentibus querelis in rixam, à rixâ in bellum, à bello, quod anno MCCLVIII. inter se acerrimum gesserant *s*, in litem descenderat. Ludouicus Comes Palatinus Rheni & Dux Bauariæ, fraternæ causæ se coniunxerat. Eius enim pariter intererat. Quia Electoratum cum Ducatu Bauariæ communem fecerant. Causa litis hæc erat: Contendebat Ottocarus Electoratum sibi deberi ratione Ducatus Austriæ, quæ pars Bauariæ quondam fuerat, à Frederico Primo inde auulsa, & in Ducatum erecta. Erat quidem Ottocarus Rex Bohemiæ, eoque nomine pariter Elector: Ducatum tamen Austriæ vxorio nomine ad se traxerat: & Luitpoldus Austriæ Dux, vnà cum Ludouico Bauariæ Duce & Ottocaro Bohemiæ Rege, suffra-

s Stero in annalib. ad ann. 1258.

ſuffragio ſuo Fredericum Secundum ad Imperium extulerat. Hoc colore, hoc prætextu aſſerebat ſuam eſſe poſſeſſionem vtriuſque Electoratus, hoc eſt, tam Bohemiæ, quam Bauariæ. Sed ex aduerſo Bauari nitebantur, ſuum eſſe Electoratum *ratione Bavariae*, & *ab antiqvo*; hoc eſt, à primâ ſuâ origine Bauariæ annexum. Ottocarum non poſſidere Ducatum Bauariæ; ſed Auſtriæ. Electoratum non deberi alijs quàm Bauariæ Ducibus, eoque titulo inſignitis. Hoc nomine & eſſe ſe, & prædeceſſores ſuos ſemper fuiſſe in continuâ & pacificâ poſſeſſione. Lis erat de poſſeſſione, non de proprietate. De poſſeſſione dubitari vix poterat, de proprietate magis poterat. Quoniam Fredericus Primus in Bauariæ ſegregatione nominatim non cauerat, cui portioni Electoratus accederet, vtrum Orientali, an Occidentali, vel an communis eſſet vtrique Duci & indiuiſus. Cauſa diligentiſſimè acta eſt, in comitijs publicis Auguſtæ celebratis,

coram Imperatore pro tribunali sedente, magnâque Principum, Prælatorum, Baronumque catervâ stipato. Ad solemnitatem iudicij nihil deerat. Aderant procuratores ab Ottocaro legitimè constituti. Audita sunt quæ pro se quisque dixerat. Probatum est elegisse Bauaros Richardum & Rudolphum Imperatores. Conclusum deinde in causâ. Excussisque omnibus, adiudicata est possessio Henrico & Ludouico Bauariæ Ducibus RATIONE BAVARIAE: *Vocibus tamen eorundem fratrum*, RATIONE DVCATVS, *pro vnâ computatis in numero septem Principum ius in electione habentium.* Quibus verbis hoc significatur, cum ijsdem fratribus electio competat ratione Ducatus Bauariæ, cuius possessores inter septem Electores vnum tantum habent suffragium; sic computandam esse vtriusque vocem, vt pro vnâ tantummodo accipiatur, septimumq; in electione suffragium constituat.

Cum hæc audis, cum hæc intelligis, audes

audes adhuc nobis obſtrepere, & cum ſupercilio exigere, vt nominemus qui Bauarorum Principum Electoratum geſſerint? Henricus & Ludouicus nonne fuerunt Duces Bauariæ, quorum alter ſuperiorem alter inferiorem inſederat? Et ex his Ludouicus nonne Palatinatum Rheni in erciſcundâ familiâ ſolus acceperat? Reclamauit tamen ille, ius ſibi ad Electoratum competere non ratione Palatinatus Rheni: Sed *ratione dvcatvs Bavariae.* Illo ſæculo de quo agimus, vt in re recenti, conſtare certò poterat, quo nomine poſſideret Electoratum, vtrum ratione Bauariæ, an Palatinatus. Si ratione Palatinatus, cur non confugit ad hanc exceptionem? vnico iſto telo Ottocarum Regem conficere poterat, qui nullum vnquam ius ſibi in Palatinatum Rheni vindicauit. Quid opus erat eò decurrere, vt contenderet Electoratum ſibi competere ratione Ducatus Bauariæ, niſi quòd adeo publicum eſſet, vt conſtaret omnibus, & ſine pudendâ ca-

lumniâ negari non poſſet, ius illud peculiare fuiſſe Bauaris *AB ANTIQVO?* Ita dico *AB ANTIQVO*: hoc ipſum enim diſertis verbis diploma complectitur. Sed quid eſt *AB ANTIQVO?* An ex quo Bauariæ Duces Palatinatum Rheni adepti ſunt? Nequaquam, nequaquam. Hoc enim non erat antiquum; ſed recens. Quippe pater eorum Otto Dux Bauariæ Palatinatum demum familiæ ſuæ per nuptias aſſeruerat. Quid eſt igitur *AB ANTIQVO?* niſi Electoratum ab omni hominum memoriâ; Immo à primâ ſtatim inſtitutione coniunctum fuiſſe Ducatui Bauariæ? Bene ergo ſe res habet, ſufficit, vicimus. Habemus enim quod quærimus.

Quæ cum ita ſint, quid adhuc egemus teſtibus? Quid Bauaris vltra controuerſiam facis? Quid tantâ verborum pompâ veritatem obnubilas? Quid indoctis fucum obtrudis? Quid doctis ſtudes imponere? Fruſtra, fruſtra. Tanto verborum ſtrepitu, tanto cauillationum molimine, tot

machi-

machinis, tot technis nihil adhuc omnino egisti. Inuenisti qui laruam illam detrahere ac reijcere, qui cerussam illam ac sententiarum pigmenta detergere possit. Tu adhuc ille non es, qui eloquentiâ tuâ alienam rem domino auellas, reuerentiam antiquitatis explodas, historiam obscures. Veritas ad tempus dissimulari potest, supprimi non potest. Deprime quantum libet, emerget tamen, & nebulas illas veluti sol fulgore suo facillimè discutiet.

Satis puto ostendi quod primum pollicitus sum, Electoratum Imperij ad Bauaros pertinuisse à suâ origine. Attende nunc quomodo in eodem Ducatu continenter hæserit inconcussâ possessione, vsque ad Caroli Quarti ætatem. Hoc autem commodè præstare non possum, nisi vt ad singulos Imperatores descendam, & cuiusque electionem, quantum res nostra patitur, quàm diligentissimè expediam.

Vnde autem incipiam, nisi ab Henrico Sancto Bauariæ Duce, quem vulgò Clau-

dum nominant? Ille enim ſucceſſit Ottoni Tertio, primuſque ad Imperium ſublatus eſt Electorum ſuffragijs. Sed vt intelligas Electorem fuiſse, à Coëlectoribus eius Moguntiæ congregatis dilata eſt tantiſper electio, quoad eluſo Hermanno Sueuiæ Duce (à quo tranſitu Rheni prohibebatur) applaudentibus omnibus Moguntiam intrauit *a*.

a *Andrea Bruner. annal. Boicor. part. 2. lib.* 7.

Succeſsorem habuit Conrardum Salicum, quem ſupremis ſuis mandatis Henricus Sanctus monſtrauerat Principibus tanquam optimum. Henricus Moſellanus Bauariæ Dux ad electionem eius conuenit. Quippe VVippo *b*, ſcriptor optimus, & coætaneus inter præſentes repoſuit Boios & Saxones: hoc eſt, vt plerique omnes hunc locum accipiunt, Bauariæ & Saxoniæ Duces, gentis ſuæ nobilitate ſuccinctos.

b *in vita Conrard. Salici.*

Conrar-

Conrardus Salicus Henricum Tertium filium suum Bauariæ imposuit *c*, & paullo post in societatem regni accepit *d*.

c *Andreas Bruner. in annalib. Boio. part.* 2. *lib.* 9. d *Sigebert in Chronic. ad ann.* 1027.

Henricus Tertius defuncto patre habenis potitus, filium quoque suum Henricum Quartum, admodum puerum Bauariæ Ducem dedit *e*, paternoque exemplo in consortium sceptri assumpsit *f*.

e *Auent. in annal. Boicor. lib.* 5. *Andr. Bruner in annalib. Boior. part* 2. *lib.* 10. f *Auent. d. lib.* 5. *&* *Bruner. d. lib.* 10.

De Henrico Tertio & Quarto quid existimas? vis eos se ipsos elegisse? possessionem nostram continuas: Bauari fuerunt. Vis non elegisse? non interrumpis. Pueri fuerunt, qui per ætatem non admittebantur ad electionem.

Cæterum Henrico Quarto excommunicato, VVelpho Dux Bauariæ *g*, suo & Coëlectorum suffragio, diadema regni in comi-

comitijs Forcheimiensibus Rudolpho Sueuiæ Duci contulit.

g *Abbas Vrsperg. Lambert. Scafnaburgensis Onuphrius Panuinus lib. de imperat. comit. Io Cuspinianus in Henric. Quart. Schard. de elect. German. Princip. quidam tamen ex his Ottonem substituunt. Sed quidquid sit, Dux tamen fuit Bauariæ.*

Rudolpho dein extincto, & Henrico Quarto Imperium eierante, Henricus Quintus Quarti filius, fastigium accepit Electorum suffragijs. Inter quos VVelphonem Secundum Bauariæ Ducem conuenisse constat *h*.

h *Vrspergensis enim ad annum* MCVI. *solum Saxoniæ Ducem Magnum ex omnibus Germaniæ Optimatibus desideratum tradidit.*

Post mortem Henrici Quinti sine masculis, Henrici Aucupis posteritas Imperio excidit, in cuius domo hactenus per ducentos & amplius annos, quasi per successionem steterat. Regnum autem communi con-

ni conſenſu in virtutis honorem, Lothario Saxonum Duci vltro delatum eſt *i*, Henrici Bauariæ Ducis ſtudijs adiuto *l*.

i *Otto Friſing. Chronic. lib.* 7. *continuator Sigeberti, ad annum* 1125. l *noſter aduerſarius in reſolut. argum.* 2.

Hic ille Henricus, dictus à facie Niger, à moribus Superbus, ex nimio faſtu omnium ferè Principum odia contraxerat. Lothario eius ſocero è viuis ſublato, indicta quidem Moguntiæ fuerunt comitia Imperij: Sed potentiam eius Coëlectores veriti *m*, ne Imperium ad ſe vi traheret, Electoralia Comitia Confluentiæ anticipant: ac Theodovvino Pontificis Maximi legato adnitente, Conrardo Tertio tradidere faſtigium *n*. Eam Electionem contra fas, & leges, maiorumque morem per obreptionem factam, Henricus Superbus ratam non habuit *o*. Inſignia tamen manente contumaciâ Conrardo reſtituit.

m *Auentin. in Annalib. Boicor. lib.6. Chron. Weingartenſe de Guelfis principib. c.13.*

apud Canis. antiquar. lect. tom. 1. n *Auent. d. lib. 6 Weingart. Chronic. loc. citat. Otto Frisingens. lib. 7. cap.* 22. o *Auent. & Weingart. Chron loc. cit. Abbas Vrsperg. & Onuphrius Panuin.*

Veruntamen Henricus Leo Bauariæ Dux, Henricum Conrardi Imperatoris filium in Cæsarem extulit *p*. Eóque ante patrem immaturâ morte prærepto, Fredericum Primum Barbarossam Conrardo substituit. *q*

p *Otto Frisingen. de reb. gest. Freder. Primi cap* 43 *lib.* 1. q *Gunter. Ligurm. lib.* 1. *in verb. Norica rura regentes.*

Henricus Sextus à Frederico patre in societatem regni assumptus fuit. Sed tunc Ludouicus Bauariæ Dux Ottonis Magni filius, pubertatis annos non attigerat. Quem Henricus Sextus in VVormatiensibus comitijs gladio cinxit *r*. Iuniores enim Principes eâ tempestate gladium à parentibus, aut Cæsare accipere consueuerant, vt membrum exinde reipublicæ essent, qui pars familiæ tantum fuerant. r *Auent.*

r *Auentin. in Annalib. Boicor. lib.* 7.

Idem tamen Ludouicus Bauariæ Dux, Philippum Frederici Primi filium, Romanorum Regem postea renunciauit *s*. Philippo verò ab Ottone VVittelſpacenſi miſerabiliter cæſo, Ottonem Quartum quorundam factionibus æmulum Philippo datum, ſuffragio ſuo confirmauit, & nutantibus alijs Aquiſgranum deduxit *t*. Excommunicato deinde Ottone Quarto, Fredericum Secundum, Henrici Sexti filium, in regno ſubrogauit *u*, & ab eodem Frederico in Apuliam progreſſo, Vicarius Imperij conſtitutus fuit *x*.

s *Michael Beuterus, & Auent. in annalib. Boicor. lib.* 7. t *Auent. d. lib.* 7. u *Abb. Vrſpergenſ. Onuphr. Panuin: Cuſpin. in Freder. Secund. Auent. d. lib.* 7. x *Conrard. de fabaria de caſib. monaſt. Sancti Gall. c.* 20. *Cuſpinian. in Freder. Secund.*

Henrico deinde Palatino ſine maſculis defuncto, Palatinatum Rheni ab Imperatore impetrauit. Sed ab incolis vi repul-

ſus, quod armis perpetrare non poterat, nuptijs perfecit. Agnetem enim Henrici Palatini Comitis filiam filio ſuo Ottoni deſpondit, eumque heredem in ſolidum habuit. Qui inuolutâ diſcordijs Germaniâ, & in perturbatione rerum omnium, abſtinere maluit ab electione, quàm Fredericum deſtituere, quem ſuffragio ſuo pater extulerat, è cuius denique domo tot beneficia parentes adepti fuerant.

Itaque Frederico Secundo excommunicationis fulmine percuſſo, conſtanter illi adhæſit, cum ſuperioris Germaniæ Principibus. A quibus cum diſſiderent Principes inferioris Germaniæ, Moguntinus, Colonienſis, & Treuirenſis, ſtimulantibus Pontificis Maximi legatis, Henricum Haſſiæ & Turingiæ Landtgrauium Summæ rerum admouere *z*: eoque morte fortuitâ abſumpto, ad VVilhelmum Hollandiæ Comitem purpuram deferunt, qui poſt mortem Frederici Secundi à Summo Pontifice Lugduni coronatus eſt *a*.

z *Auent.*

z *Auentin. in annalib. lib.* 7. *Stero in annalib. à Canisio editis tom.* 1. *antiqu. lect.* a *Conrard. Episcop. in Chronico rerum Moguntiacar. Stero in annalib.*

Post finem VVilhelmi, studia Electorum Principum in factiones distracta sunt. Eâ tempestate Ludouicus Seuerus, & Henricus Ottonis filij, paternam familiam inter se diuiserant. Ludouico Palatinatus Rheni cum superiore Bauariâ, inferior Bauaria Henrico obuenerat *b*. Ducis verò nomen, cum Electoratu communiter & indiuisim retinebant *c*. Proinde cum quæreretur VVilhelmo successor, Treuirensis, Bohæmus, & Saxo, tam suo, quàm Brandeburgensis nomine, Alphonsum Castellæ Regis filium fastigio destinant. Ludouicus verò, & Henricus Bauariæ Duces *d*, cum Moguntino & Coloniensi, in Richardum Regis Angliæ fratrem, suffragia dirigunt, & armatâ manu Aquisgranum deducunt, atque in Caroli Magni solio collocant *e*. Sed breui post tempore interijt.

b *anno scilicet* 1255. *Stero in annalib. à Canis. edit.* c *Stero ibid. Chronic. Augustan.* d *anno* 1257. *Stero in Annalib. & Chroni. August. Auent. in annalib. Boicor. lib.* 7. *Rudolphi Imperatoris diploma supra allegatum, cuius hæc sunt verba: quod prædictus Dux Henricus frater Ludouici, olim electioni Richardi Romanorum Regis nostri prædecessoris, vnà cum ipso Ludouico, cum cæteris Principibus Coëlectoribus interfuit, & in eum vterque legaliter direxit votum suum; eundem in Romanum Regem, vnà cum alijs Principibus ius in hoc habentibus, eligendo.* e *Stero in Annalib. Auent. in Annalib. Boicor. d. lib.* 7.

Igitur Electores Imperij Francofurti conueniunt. Præter Henricum Bauariæ Ducem nemo deerat. Sed ille speciales procuratores ad comitia miserat *f*, qui cum fratre suo Ludouico Seuero Bauariæ Duce suffragarentur. Moguntino adnitente, Rudolpho Comiti Habspurgensi communi calculo Imperium traditur.

f *Supradictum diploma Rudolphi Imperatoris. Eberhardus Altahensis Ratisbon. Eccles. archidiaconus in Annalib. ad annum 1273 à Canisio editis tom. 1. Verba eius sunt ista: Mortuo Richardo Romanorum Rege, Principes Electores circa Octauam Sancti Michaelis ad eligendum alium Regem in Francofurt conueniunt. Et dum omnes, qui vocandi erant conuenèrunt, præter Henricum Ducem Bauariæ, qui & solemnes miserat nuncios, & per ratihabitionem, suum eidem electioni præbuit assensum. Electus est Comes de Habspurg in Romanum Regem; postea in Imperatorem consecrandus, g Albert. Argentinens. Auent. in annalib. Boicor. lib. 7. Supradictum diploma, cuius ea sunt verba: deinde verò electionis tempore apud Francofurt de nobis, ab omnibus Principibus ius in electione habentibus, concorditer celebrata, per nuncios & procuratores Henrici, videlicet Præpositum Oetingen, & Fredericum rectorem Ecclesiæ de Landtshut, ipsius absentiam propter impedimenta legitima legitimè*

timè excusantes. Cum quo diplomate consentit Eberhardus loc. allegat.

Henricus Bauariæ Dux deinde decessit, & post eum Rudolphus Imperator. Comitia Electoralia Francofurti indicta sunt. Moguntinus pro cognato suo Adolpho Nassouio nitebatur. Ludouicus Seuerus Bauariæ Dux, Alberti Austriaci Rudolphi Imperatoris filij partes susceperat. *h* Præualuit tamen plurium sententia. Adolphus ad fastigium extollitur.

h *Auent. in annalib. lib.7.*

Nec multò post, Ludouicus Seuerus Bauariæ Dux Comesque Palatinus de vitâ migrauit. Duo illi fuere filij, Rudolphus viginti annos natus, & Ludouicus admodum puer, longâ posterorum serie insignes. Rudolphum hodierni omnes Palatini Rheni Comites; Ludouicum autem Bauariæ Duces, familiæ suæ auctores agnoscunt. Machtilda Ludouici filij tutelam suscepit, & cum Rudolpho paternam diuisit familiam. In eâ partitione, Palatinatus

tus Rheni, cum portione Superioris Bauariæ Rudolpho obuenit. Quidquid in Bauariâ reliquum pater reliquerat, Ludouico cessit *i.* Electoratus verò communis remansit.

i *Auentin. in Annalib. Boico. lib. 7.*

Adolpho Imperatore in prælio cæso, Albertus Austriacus anno MCCICIX. Imperium adeptus est. Ludouicus Bauariæ Dux electioni eius non interfuit propter impubertatem. Vix enim attigerat vndecimum ætatis annum. Pater enim defunctus anno MCCICIIII. pupillum eum reliquerat annorum septem.

Cæterùm Alberto extincto, Ludouicus Dux Bauariæ, cum Rudolpho fratre septem. calend. Decemb. anno MCCCVIII. Henricum Septimum Luxenburgensem elegit. Vnde id probem interrogas? ex diplomate quod extat in archiuo Serenissimi Bauariæ Ducis, à Gevvoldo publicatum in septemuiratu. cap. x. Certior probatio

F haberi

haberi non poteſt. Maior eſt omni exceptione. Accipe ipſum diploma.

Nos Brecht Comes de Henneberch, necnon Conrardus de Reyder miles, procuratores Illuſtrium Principum Ottonis & Woldemari Marchionum Brandeburgenſium, ſuper futuri Regis Romanorum electionis negotio conſtituti: ad vniuerſorum notitiam volumus peruenire: Quod poteſtate nobis & mandato, ab iiſdem Marchionibus nomine eorum, necnon Illuſtris Principis Rudolphi Ducis Saxoniæ, qui ſuum votum in electione Romanorum Regis ſibi competens, in prædictum Ottonem Marchionem iſtâ vice noſcitur tranſtuliſſe, datis traditis & conceſſis; amicitiæ, vnionis, & concordiæ fœdera cum Illuſtribus Principibus Rudolpho & Ludouico Comitibus Palatinis Rheni, vt ipſi Regno Romano ſalubrius & cautius conſulatur, ſic duximus ineunda: Videlicet, quod ipſis promiſimus, & præſentibus promittimus, corporali ſuper hoc, & in animas prædictorum Dominorum noſtrorum Marchionum præ-

ſtito

ſtito iuramento, quod in electione futuri Regis Romanorum, vnum cum ipſis eſſe debeamus: ſic videlicet, quod quemcumque ex Principibus, vel perſonis infraſcriptis, videlicet Illuſtribus Principibus Ottone & Woldemaro Marchionibus Brandeburgenſibus, Nobili viro Alberto Comite de Anhalt, necnon Illuſtribus Principibus Rudolpho & Ludouico Comitibus Palatinis Rheni, & Frederico Duce Auſtriæ, plura vota de Principibus Eccleſiaſticis Electoribus habere contigerit, ille præferatur, & votis noſtris eidem debemus adhærere, ipſum ſine omni contradictione in Regem Romanum eligendo. Extra verò numerum prædictarum perſonarum non eligemus, niſi concurrentibus votis Comitum Palatinorum, atque noſtris. Sanè eſt adiectum, & iuramento firmatum, quod ſi aliquem noſtrum Marchionum prædictorum, vel alium ad noſtram promotionem in Regem Romanorum eligi continget, quod præfatis Comitibus Palatinis in ſuo iure aſsiſtet, & ipſe nobis vice verſâ, & ipſorum contra omnes ho-

mines erit in perpetuo coadiutor. Est etiam promissum & iuramento firmatum, quod si aliquem ex Marchionibus prædictis, vel alium ad eorum promotionem in Regem eligi continget, quod prædictis Palatinis Comitibus conferet omnia bona sua, & eos in ijsdem manutenebit, & defendet, & prædictos Comites Palatinos in possessione omnium bonorum, quæ genitor eorum possedit, & in eâ possessione, sicut ea tempore claræ memoriæ quondam Rodolphi Romanorum Regis possiderunt, non molestabit, vel turbabit. De expensis verò quæ contemplatione Electionis facta fuerunt, ad arbitrium venerabilis Principis Domini Ioannis Episcopi Argentinensis, & nostri Brecht Comitis de Henneberch satisfiet. Ad confinia verò Imperij & prædictorum Comitum, Officiales pacifici, iuxta arbitrium prædictorum Argentinensis Episcopi & Brecht Comitis de Henneberch locabuntur. Est etiam iuratum, quod nec Illustribus Principibus Ottoni & Stephano Ducibus Bauariæ, nec nobili viro Eberhardo Comiti de Wittenberg

prædicti

prædicti Marchiones, si quem ex eis in Regem eligi continget, adhærebit, vel aliquo genere copulationis & unionis unietur. Porrò promisimus & iuramento firmauimus, quod Illustribus Principibus Frederico & fratribus suis Ducibus Austriæ, omnia eorum bona, & dominia, sicut ea tempore Claræ memoriæ Illustris quondam Domini Alberti genitoris eorum possiderunt, conferet, & eos in eisdem manutenebit & defendet: harum testimonio litterarum nostrorum sigillorum robore munitarum. Datum in Poperdiâ anno Domini millesimo tricentesimo octauo, feria sexta ante Simonis & Iudæ Apostolorum.

Audis quid diploma loquatur? Ludouicum Bauariæ Ducem Electorem agnoscit. In futuris igitur comitijs suffragium contulit. Quia sine periurio abesse non poterat ex supradictâ conuentione.

Postea verò, Ludouicus Bauariæ Dux maternam diuisionem ratam non habuit. Pactumque ferro rescissurus, fatri suo bellum intulit. Sed leuibus damnis inuicem

acceptis, anno MCCCXIII. pacem ineunt; vt paternâ hereditate in communi fruerentur: Electio tamen durante vitâ Rudolpho cederet. Post mortem eius ad Ludouicum perueniret. Ludouico defuncto, ex vtriusque liberis senior eligeret. Si inter se familiam erciscerent, Electoratus quoque boni viri diuideretur arbitrio. Hæc transactio in tabulas relata, atque vtriusque sacramento sancita est. Vt verbis meis fidem habeas, promo diploma.

Rudolphus Dei gratia Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, notum facimus vniuersis qui has litteras inspiciunt aut legi audiunt: Quod nos liberè & sponte, bono consilio, amicè & pro nobis & heredibus nostris etiam pro coniuge Machtilde transegimus, cum dilecto fratre Ludouico Comite Palatino Rheni & Duce Bauariæ: & ille vicissim pro se, suâ coniuge Beatrice & illorum heredibus, super omnibus negotijs, quæ nos & prædictus noster frater ad inuicem habuimus, vsque in hodiernum diem: sic quod nos, & dilectus noster

ſter frater amicam collationem fecimus ad Rhenum vbique, & in Bauaria, in Auſtria in Sueuia, & vbicumque hereditatem habemus, in hominibus, bonis, dominijs, & qualiacumque bona fuerint, parua vel magna, fœdalia ſeu propria, quaſita aut inquirenda: ſic quod eadem communiter poßidere, habere, illiſque vti debeamus, & nos in noſtris dominijs permanere, ac ſimul feuda concedere ac dare, quamdiu viuimus. Et nos Dux Rudolphus debemus habere ius in electione regni ad dies vitæ. Quod ſi dilectus frater noſter nos ſuperuixerit, tunc debet prædictarum terrarum & dominiorum circa Rhenum & in Bauaria dominus eſſe, vſque ad obitum ſuum: & debet quoque electionem in regno habere: neque debent liberi noſtri cum ipſo, neque cum ipſius liberis vllam partem quærere, nec petere, quamdiu ipſe vixerit. Quod ſi nos noſtrum dilectum fratrem ſuperuiuemus, tunc debemus ei & liberis eius, ſi liberos ſuſceperit, quod Deus det, omnia hæc iura certa, rata, ſtabilia ac firma conſeruare;

&

& liberi illius nobis vicissim, quemadmodum noster frater Ludouicus antehac sese erga nos, & liberos nostros obligauit. Quando etiam nos, & noster dilectus frater vtrimque non sumus, tunc debet Senior electionem in regno habere, quamdiu in communione permanserint. Si autem partem suam peterent, tum debent æqualiter diuidere circa Rhenum, in Bauariâ, & vbicumque in aliis terris homines & bona habent: & debet nullus eorum, neque senior, neque iunior melius ius habere, neque in electurâ, neque in bonis, neque in dominiis præ alio. Et is qui Electuram æquâ diuisionis sorte obtinuerit, pro parte suâ ille debet alteri aut cæteris tam beneuolè & amicè prædictam Electuram compensare aliis bonis, vel dominiis, vt ipsi vel illis sufficiat. Stat etiam penes nos Ducem Rudolphum, vbi locorum nostræ dilectæ coniugi aut nostri dilecti fratris coniugi, vtrique harum dotalitium, viduitatis prouisionem, & Morganaticam dabimus, assignabimus, siue in Bauaria, siue ad Rhenum: & in quocumque vicedominatus

officio, siue sit in Bauaria, siue ad Rhenum nostræ dilectæ coniugi ipsius contradotem, viduitatis prouisionem, & Morganaticam assignauerimus; ibidem debemus nos quoque nostri dilecti fratris coniugi quoque dare & assignare eiusdem contradotem, viduitatis prouisionem & Morganaticam. Debent quoque omnes, qui nostri auxiliatores & ministri fuerunt in hoc bello, siue sint domini, siue ministri, pauperes vel diuites, nostri dilecti fratris, absque omni fraude & dolo gratiam & fauorem habere omnimodo. Sic debent vicissim, & in primis noster Dominus Episcopus Eystetensis, eius Ecclesia, & ministri illius, & hi omnes, qui nostri dilecti fratris auxiliatores & ministri fuerunt in isto bello, vel obsidionibus quæ inter nos fuerunt huc vsque, siue sint Domini siue ministri, diuites vel pauperes, absque omni fraude gratiam nostram habere totaliter. Et vt præscripta conuentio, compositio, ac communis & amicabilis collatio certa, firma, & inuiolabilis permaneat, nos iuramentum præstitimus ad sanctos, &

 vna

vnà nobiscum dilectus noster affinis Gerlacus de Nassovve, nostrìque fideles Hermannus de Haldenberch, Rudolph de Hassang, & God frid Penler noster Vicedominus in Bauaria & ad Rhenum. Vicissim iurauit noster prædictus frater Ludouicus corporaliter, prædictam collationem & conuentionem firmiter tenere, sicut præscriptum est: & vnà cum ipso Comes Berchtoldus de Greysbach, Comes Berchtoldus de Neyffen, Berchtoldus Dapifer de Chussental & Wegel, Vicedominus de Amberg. Nos & noster frater possumus, ac debemus, ad prædictam conuentionem addere cum communi consilio, vnde omnes nostræ res meliores fiant · & quomodocumque euenerit debent prædicta conuentiones & collatio firma manere, sicut iurauimus. & neque debent neque possunt transgredi. Et ad horum notitiam, damus has litteras sigillo nostro obsignatas, quæ datæ sunt Monachij cum à Christi natiuitate numerarentur anni MCCCXIII. *proximà die iouis ante Sancti Ioannis Baptistæ.*

Igitur

Igitur ſublato Henrico Septimo, Rudolphus Comes Palatinus & Dux Bauariæ, ſecundum legem ſupradictæ conuentionis Francofurtum ad Comitia proceſſit. Ibi cum plurium ſuffragijs Ludouico Bauariæ Duci deferretur Imperium; Rudolphus, exoſo pridem & contempto fratre, pro Frederico Auſtriaco competitore ſtetit. Quæ res illi malorum omnium, quæ poſtea perpeſſus eſt, cauſa fuit. Frederico enim armis victo, exutis bonis in Angliam pellitur, & in exilio contabuit. Cæterùm Ludouicus Imperator, fraternâ morte compertâ, iram poſuit, liberoſque eius in gratiam recepit, & Palatinatum Rheni cum portione Bauariæ ijs tradidit. Deprecantibus dein Frederico & Leopoldo Auſtriacis, eoſdem rurſus ad Electoratum admiſit. In eam rem Papiæ anno MCCCXXIX. tranſactio facta eſt; vt ſui fraternique liberi, atque vtriuſque heredes alternatim ſuffragia ferrent. His tamen prima daretur electio, deinde perueniret ad Ludouicum &

Stephanum suos filios, inde rursus ad fraternæ lineæ heredes transitura. Pœna denique nominatim adiecta est, vt iure suo in perpetuum caderent, qui transgrederentur legem conuentionis. Extant tabulæ in archiuo Ducis Bauariæ, vtriusque partis sigillis & sacramento constrictæ: è quibus deprompta sunt quæ sequuntur.

Debemus etiam primum Romanum Regem eligere, pro nobis & nostrâ parte: & debent nostri dilecti Domini & patrui Cæsaris Ludouici filij Ludouicus & Stephanus, aut illorum heredes alterum Romanum Regem eligere; & sic debet alternatio electionis Regni inter nos, & nostros heredes posthac perpetuò permanere. Et quando contingit, quod nos Romanum Regem debemus eligere, tunc tenemur nos, & nostri heredes, nostros prædictos patrueles Ludouicum & Stephanum, & eorum heredes tueri, & securos reddere erga Romanum Regem, tanquam nos ipsos, vt illis fiat circa feuda, circa constituta, & circa alia iura, quæ habere debent à Regno, & quæ

ad terram illorum pertinent, quæ vtrorumque nostrorum maiores habuerunt, & ad nos, atque illos continuarunt: hoc ipsum debent illi, & eorum heredes nobis, & nostris heredibus vicißim facere toties quoties electio Regni ad eos peruenerit. Et si nos, aut nostra pars, vel nostri heredes, illos aut eorum heredes impediremus, aut circumueniremus in electione Regni, & ipsis non vellemus permittere vt eligerent, quemadmodum iure deberent, & præscriptum est; tunc amisimus nos, nostra pars, & nostri heredes electionem Regni, & debet electio Regni ad illos eorumque heredes reuolui, ac perpetuò apud illos permanere. Similiter debet electio Regni, ad nos, nostram partem, & heredes nostros deuolui, & in perpetuum penes nos permanere, si ipsi aut eorum heredes nos, nostram partem, aut nostros heredes impedirent, aut circumuenirent in electione, quando nos eligere deberemus, &c.

Ecce tibi totam sine fuco, sine fraude historiam, quà possessionem nobis asserimus, vsque ad Caroli Quarti ætatem. Nam

quæ deinceps sequuntur, eò potissimum tendunt, vt explanem, quod tertio loco facturum me, pollicitus sum; nempe Electoratum non potuisse auferri Bauaris à Carolo Quarto.

Itaque post Papiensem transactionem, Bauari & Palatini inter Electores promiscuè habebantur. Et ideo cum anno MCCCXXXVIII. inter Benedictum Duodecimum, & Ludouicum Imperatorem, Gallorum instinctu orta esset peruicax discordia, Comitia Electoralia Francofurti indicta sunt, in quibus, Henricus Archiepiscopus Moguntinus, Balduinus Coloniensis, VValramus Treuirensis, Rudolphus Dux Saxoniæ, Stephanus Dux Bauariæ, Rudolphus & Rupertus Palatini Rheni Comites, Ludouicus Marchio Brandeburgensis, solemni sacramento obstricti sunt, non defuturos se Imperatoriæ Maiestati, daturosque operam, ne quod ex eâ simultate respublica detrimentum caperet. Proferre possem tabulas singulorum Principum:

pum: ſed libelli anguſtia non patitur. Satis eſt ad rem quam agimus, ſi Stephani Bauariæ Ducis diploma exhibeam, quod etiam nolenti tibi oſtendet, Electorem eum fuiſſe, cui honōr ille in publico Septemuirorum collegio, & habitus, & approbatus fuit. Recitemus diploma.

Nos Stephanus Dei gratia Comes Palatinus Rheni & Dux Bauariæ, notum facimus cunctis hominibus, qui has litteras vident, aut legi audiunt; Quod nos, vnà cum cæteris Electoribus conſiderauimus, & reſpeximus, vt dictum Romanum Imperium in ſuo honore, iuribus, & bonis, atque etiam nos & cæteri Electores, in noſtro honore, iuribus, conſuetudinibus & priuilegijs, quæ nos à prædicto Imperio habemus, his temporibus, & antea vehementer impediti, & moleſtati fuimus, ac ſumus, & propter communem ac manifeſtam vtilitatem totius Chriſtianitatis, atque ad præmemorati Imperij, ac noſtrum, cæterorumque Electorum honorem, iura priuilegia & conſuetudines tuendum, defendendum

ac

ac manutenendum, vnanimiter conuenimus, & nos inuicem vniuimus, quod prædictum Regnum, & nostrum principalem honorem, quem ab eo habemus & obtinemus, videlicet in Electione Regni, in suis & nostrorum Electorum iuribus, priuilegijs & consuetudinibus, sicut ab antiquo, ad nos, tanquam Imperij Electores peruenit, & deuolutum fuit, manutenere, tueri, & defendere velimus, pro omnibus nostris viribus, ac posse, sine fraude, contra quoslibet nemine excepto: Siquidem hoc nostrum honorem, & iuramentum concernit: neque hoc intermittemus propter vllum mandatum, à quocumque, vel quomodocumque hoc emanauerit; per quod Imperium, nos, & cæteri Electores in præscriptis rebus vllo modo impugnari possemus. Volumus insuper, omnes Dominos & amicos, qui ad nos spectant, vel non, siue sint Ecclesiastici, siue sæculares, nostros vasallos, ministeriales, Castellanos, Officiales, & ciues, ad id faciendum rogare, inducere, illisque hoc mandare, in quantum valemus: & ad hoc debet nostrum quilibet

Elector

Elector, cæteris auxilium præstare, sine fraude, vti isti nobis in his rebus auxilium & adiumentum præbeant, idque propter neminem intermittant, & ob nullas prohibitiones, mandata, & interdicta, à quocumque illa emanarint. Quod si præterea contingeret vllam dissensionem aut dubium circa hoc negotium, inter nos & cæteros Electores exurgere, quidquid nos tunc vnanimiter, aut maior pars circa hoc definiemus, & statuemus, debet vim habere, idque tenere debemus, sine dolo. Omnia prædicta capita, & vnumquodlibet horum, singulatim promisimus bonâ fide, & promittimus præsentibus hisce litteris, per nostrum principalem honorem, necnon iurauimus hoc ipsum ad Sanctos, pro nobis & nostris successoribus certum ac firmum tenere, & nullatenus contrauenire, neque hoc intermittere vllo modo, sicuti in præcedentibus expressum ac scriptum est. Quod si per nos ipsos, aut quemuis alium possemus, valeremus aut efficeremus, vt alius aliquis nobiscum in hanc confœderationem veniret: is iurare debet, atque pro-

 mittere

mittere, se omne hoc præstare velle, sicuti in præcedentibus, ac sequentibus scriptum continetur. Quod si verò nos, aut nostrum aliquis, quod Deus auertat, adeo peruersus esset, vt vel nos, vel alius quispiam contra faceremus, aut facere vellemus, contra hoc tueri nos non debemus vllâ dispensatione, relaxatione, abolitione, nec vllo alio beneficio, quocumque nomine hoc appellatur, vndecumque, aut quomodocumque hoc proueniat, & fiat, per nostras & aliorum hominum preces, aut quod latinè vocatur ex Officio, neque vllâ superioritate, quæ sese in hoc intromittere vellet. Et debemus Deo, ac mundo infames, infideles, ac periuri esse, ac vocari, vbi, aut quocumque pacto contra faceremus, aut veniremus vllo modo: omni dolo ac fraude in præscriptis omnibus punctis, & articulis, & eorum singulis exclusis. Ac in verum testimonium præscriptorum, damus has præsentes litteras, secreto nostro obsignatas, quæ datæ sunt Rhenis in campo, die Iouis post S. Margaritæ à Natiuitate Christi anno MCCCXXXVIII.

Ad

Ad hæc comitia, Ioannes Bohemiæ Rex non conuenerat. Rudolphus Palatinus Rheni Comes veritus, ne in proximis comitijs controuerſiam ſibi Electionis faceret, tranſactionis Papienſis tabulas ei inſinuans, approbationem exegit. Nihil hac petitione iuſtius. Ioannes Rex meritò aſſenſus eſt, ſolemneſque tabulas Rudolpho tradidit in hanc formam:

Nos Ioannes, Dei gratiâ Bohemiæ Rex, ac Lucenburgenſis Comes, notum eſſe volumus, tenore præſentium vniuerſis: Nos vidiſſe ac plenè perlegiſſe litteras Sereniſſimi Domini Ludouici Imperatoris Rômanorum, & Domini Ludouici Marchionis Brandeburgenſis, continentes ordinationem & tractatum de Comitibus Palatinis Rheni, quis ipſorum ius, ſeu vocem Electionis in Romano Imperatore, ſeu Rege Romanorum quamprimùm eligendo, habere meritò deberet. Ex quibus ſiquidem litteris prædictis, liquidè apparet, Excellenti Principi Domino Rudolpho Comiti Palatino Rheni & Duci Bauariæ,

 quam-

quamprimum opportunitas ad hoc se offeret, vt Romanorum Rex eligi deberet, competere ius, & vocem in Electione duntaxat, & nulli alteri personæ. Eò igitur per prædictum Dominum Rudolphum supplicatum nobis extitit, vt ordinationi præfatæ, in prædictis litteris contentæ, nostrum vellemus præbere consensum beneuolum, & assensum. Nos itaque, tanquam is, ad quem hoc de iure, sicuti ad Principem Electorem Imperij spectare dignoscitur, supplicationibus prædicti Domini Ducis annuere cupientes, præfatam ordinationem, factam per litteras prædictas, ratificamus, & nostrum eis præbemus consensum, assertionem, & assensum expressum, recognoscentes ipsum in primâ Electione futuri Regis Romanorum faciendâ, habere vocem eligendi, tanquam Principem, & nostrum in ipsâ Electione Coëlectorem, harum nostrarum testimonio litterarum. Datum Francofurt quintâ feriâ, proximâ ante diem Palmarum. Anno MCCCXXXIX.

Expendamus paullò pressius hasce tabulas:

bulas: Neque enim vlla alia origo reperiri potest, quæ totam hanc nobis controuersiam conflauit. Ecce Ioannes Bohemiæ Rex testatur, se vidisse Ludouici Romanorum Imperatoris, & Ludouici Brandeburgensis ordinationem, & tractatum. Quæ est ista ordinatio? Quis iste tractatus? Quis? nisi Papiensis transactio? Hæc est inita cum Ludouico Imperatore, filióq; eius Ludouico Brandeburgensi. Nam cæteri Imperatoris filij legitimam ætatem necdum attigerant. In hac conuentum fuit *de Comitibus Palatinis*; nempe quis inter Ludouici Imperatoris, fratrisque eius liberos, Palatinos omnes Comites, suffragium ferret in proximis comitijs. Testatur denique Rudolpho Palatino supradicti Rudolphi filio, tanquam Principi, & suo in electione Coëlectori suffragandi ius competere ex dictâ transactione. Sed non testatur ius illi competere in omni electione. Nominatim enim addit, *quamprimum ad hoc sese offeret oportunitas, vt Ro-*

 mano-

manorum Rex eligi debeat, hoc eſt, vt poſtea explicat *in primâ Electione.* Tacitè inſinuans, ſecundam Electionem ſpectare ad Ludouici Imperatoris liberos. Sed hac de re non quærebatur, & ideo nominatim non expreſſit; quia alienum erat à petitione. Nihil ergò hìc ſcriptum eſt contra tranſactionem. Sed tranſactionem ipſam manifeſtè confirmat. Quippe ex Papienſi tranſactione Palatinis, non Bauaris prima debebatur electio.

Poſt hæc, Carolus Quartus contra maiorum morem, à Clemente Sexto Pontifice Maximo impetrauit Imperium, quod Ludouico eriperet. Sed ad tantum facinus idoneæ vires illi deerant. Itaque nihil auſus, poſt Ludouici Cæſaris exitum *l*, res iterum mouere cœpit. Cæterùm Electores Principes ius ſuum conuelli ægrè paſſi, Gunthero Comiti Schvvartzenburgio faſtigium deferunt. In cuius electione Rudolphus Palatinus Comes, abſtinentibus ex pacto Bauaris, ſuffragium contulit.

l anno MCCCXLVII.

Interea

Interea Carolus potentiæ auidus, quò facilius æmulum conficeret, cum Rudolpho Palatino Comite fœdere inito, filiam eius vxorem duxit *m*, ſtrenuâque ſoceri operâ in mitigandis Electorum animis adiutus, à Gunthero morbis inualido, ingenti pecuniâ redemit Imperium *n*. Hinc Palatinis ad omnia obnoxius, infeſtior Bauaris eſſe cœpit.

Pauci anni effluxerant, cum Rudolphus Palatinus fatis conceſſit *o*. Rupertum fratrem ſucceſſorem habuit. Ille demum Electoratum ſibi peculiariter aſſerere, & Palatinatui annexum tendere cœpit. Quis credat vnquam Carolum Quartum in ſententiam eius tam facilè potuiſſe concedere? Eſt hoc herculè incredibile: Ruperti tamen cauſam ſtatim amplexus eſt. Sed hoc quì factum ſit vis dicam? Tabulas Ioannis Bohemiæ Regis ſic accepit, ac ſi totum Palatinis deferrent Electoratum, tanquam Comitatui Rhenenſi affixum. Ecquid mirum? Quippe cum Ruperto Palatino in Bauaro-

m Auent. in Annal. Boicor. lib. 7.

n Auent. d. lib. 7.

o Anno MCCCLIV. vel vt alij MCCCLIII.

uarorum exitium armorum societatem contraxerat *p*, totamque postea Bauariam miserabiliter vastauit *q*. Cum itaque affectui suo morem gereret, cum animo suo volupe facere vellet, flagrantissimo Bauarorum odio spumans, causam genio suo consonam auidissimè arripuit, quâ vltionem exigeret ab inimicis, atque infra maiorum suorum dignitatem saucios deprimeret.

p Henric. Rebdorffius in Annalib.
q Henric. Rebdorffius in Annalib.

Audi igitur quid factum sit postea. Primùm Ioannis Regis tabulas diligenter recognitas, & collatas, testatus est, & veras esse, & integras hoc diplomate.

Carolus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus; notum facimus vniuersis: quod constitutus in nostrâ præsentiâ Illustris Rupertus Senior Comes Palatinus Rheni, Sacri Imperij Archidapifer, & Dux Bauariæ, sororius & Princeps dilectus, nobis quasdam litteras claræ memoriæ Illustris Ioannis quondam Bohemiæ Regis, genitoris nostri dilecti, curauit ostendere, vt de tenore ipsarum dignaremur testimonium perhibere. Quarum tenor

sequi-

sequitur in hac verba: Nos Ioannes Bohemiæ Rex, ac Lucenburgensis Comes, notum esse volumus tenore præsentium, vniuersis. Nos vidisse, & plenè perlegisse litteras Serenissimi Principis Ludouici Romanorum Imperatoris, & Domini Marchionis Brandeburgensis, continentes Ordinationem & tractatum, de Comitibus Palatinis Rheni, quis ipsorum ius seu vocem electionis, in Romano Imperatore, seu Rege Romanorum quamprimum eligendo, habere meritò debeat. Ex quibus siquidem litteris prædictis, liquidè apparet, Excellenti Principi Domino Rudolpho Comiti Palatino Rheni, & Duci Bauariæ, quamprimum oportunitas ad hoc se offeret, vt Romanorum Rex eligi deberet, competere ius, & vocem in electione duntaxat, & nulli alteri personæ. Eò igitur per dictum Rudolphum supplicatum nobis extitit, vt Ordinationi præfatæ in prædictis litteris contentæ, nostrum præbere vellemus consensum beneuolum, & assensum. Nos itaque, tanquam is ad quem hoc de iure, sicut ad Principem & Ele-

ctorem Imperij spectare dignoscitur, supplicationibus prædicti Domini Ducis annuere cupientes, præfatam Ordinationem factam per litteras prædictas, ratificamus, & nostrum præbemus consensum, assertionem, & assensum expressum, recognoscentes ipsum in primâ Electione futuri Regis Romanorum faciendâ, habere vocem eligendi, tanquam Principem, & nostrum in ipsâ Electione Coëlectorem, harum nostrarum testimonio litterarum. Datum Francofurt quintâ feriâ, proximâ ante diem Palmarum An. Dom. MCCCXXXIX.

Nos igitur ad vniuersorum notitiam volumus peruenire, quod easdem litteras, sub proprijs figuris, & elementis, & sub sigillo maiori consueto dicti genitoris nostri, in verâ figurâ sigillatas, vidimus, & de veritate & integritate ipsarum testimonium perhibemus præsentium nostro sigillo litterarum. Datum in Keysersperg, anno Domini MCCCLIV. *Cal. Iunij, regnorum nostrorum octauo.*

Nihil hactenus peccatum est in hisce tabulis: sed quæ deinde secuta sunt perui-

caciam eius non excuſant. Nolo hoc loco commemorare, quàm multa Carolus Quartus in Imperio perperam geſſerit *r*. Quod contra priſcam Electorum auctoritatem, contra auitam & inuiolatam Germaniæ libertatem, aduerſantibus Principibus multa turbauerit *s*. Quod Maximilianus Imperator noxium Imperio fuiſſe teſtatus ſit *t*. Quod diplomata ipſius damnauerit omnia, quæ pater eius Fredericus rata non habuerat *u*. Hæc inquam, & ſimilia impræſentiarũ omitto. Malo me tacente quiuis intelligat. Vtinam herculè poſſem, quæ in hoc negotio immoderatè fecit, pari ſilentio prætermittere, ne leuitatem Principibus exprobrare videar. Sed planè dicenda ſunt. Quia ſine maximo cauſæ diſpendio tranſgredi non licet. Quid igitur deinde fecit? Quid? ad Rudolphum auunculum ſuum Saxoniæ Ducem, cæteroſque Electores litteras dedit. Bone Deus! quas litteras? quæ Ioannis Bohemiæ Regis tabulis, neſcio quæ verba affingunt, quæ

r Vide Spigelium.

s Auent. in Annalib. Boicor. lib. 7.

t Commentat ad Ligurin.

u Comment. ad Ligurin.

ſenſum earum adulterant, quæ ſolertiſſimè Electoribus imponant. Plura non dico. Poſſumus omnia rectius cognoſcere ex ipſis litteris. Longum eſſet huic operi ſingulas inſerere. vnas tantum referam ad Saxonem miſſas, ex quibus reliquas licebit cognoſcere. Eodem enim tenore ſcriptæ ſunt omnes. Ergo auſculta.

Karolus Dei Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex. Rudolpho Saxoniæ Duci, &c.

Princeps & auuncule dilecte, litteris felicis recordationis Illuſtris Ioannis olim Bohemiæ Regis, genitoris noſtri chariſſimi, vero ſuo ſigillo pendenti ſigillatas, vidimus; expreſſe continentes, quod felicis recordationis Illuſtris Rudolphus, olim Comes Palatinus Rheni & Dux Bauariæ, Princeps & ſocer noſter dilectus, ratione dicti Comitatus, Imperij eſſet Elector; & ex eo iuſtitiâ ſuadente, rationabiliter declarauimus, Illuſtrem Rupertum Antiquiorem, Comitem Palatinum Rheni, &

Ducem

Ducem Bauariæ, sororium & Principem nostrum dilectum, dicti olim Rudolphi soceri nostri germanum, verum Principem Electorem fore, & vnà cum alijs sacri Imperij Principibus Electoribus, veram eligendi vocem Romanorum Regem in Imperatorem promouendum habere, prout in litterâ nostro sub expresso sigillo sigillatâ, præmissa, gula lucidius contineri videbis. Et quia præscripta rationem sapiunt, Dilectionem tuam attento studio requirimus, exhortamur, vt super eâdem materiâ, litteras tuo sub sigillo sigillatas, præfato Ruperto Principi nostro, iuxta formam notulæ, quam tibi præsentibus mittimus interclusam, in quâ nihil aliud continetur, quam in nostrâ litterâ est expressum, eo duntaxat excepto, quod Nos sub certis modo & formâ, & tua Dilectio sub alijs loquimur, prout conuenit, velis exhibere. Datum Openheim Anno Domini MCCCLIV. *feriâ tertiâ proximâ post Ascensionem Domini, Regnorum nostrorum Octauo anno.*

Subſiſte parumper, & perpende haſce

litteras. Totam enim laruam detegunt, totum illud artificium explicant, quo posteritati ſtudes imponere. Vide quid ſcribat ſtatim ab initio Carolus Quartus. Dicit compertum ſibi ex Ioannis Bohemiæ Regis tabulis, Rudolphum Palatinum Rheni Comitem, fuiſſe Electorem ratione Comitatus Rhenenſis. Itane verò? obſecro vbi Ioannes Bohemiæ Rex hoc dixit? Falſum, falſum. Nihil ſimile legimus in eius tabulis. Perſcrutare & diſcute diligenter, quas bonâ fide ad verbum edidi *x*. Diſce an Ioannes Rex vſquam dixerit, Rudolphum Palatinum ratione Comitatus Palatini debere eligere. Dixit primam electionem illi competere ex Papienſi tranſactione, præterea nihil. Vnde igitur Carolus Quartus collegit, eligere debere ratione Comitatus Palatini? An ex verbis? Non. An ex ſententiâ? Non. Quippe hæ tabulæ eò non ſpectabant, vt peculiarem ſibi Electoratum Rudolphus faceret: Sed vt ſuo ordine admitti poſſet ad viciſſitudina-

x Supra pagin. 59.

dinariam electionem. Quid igitur fuit? nisi quòd Carolus Quartus persuaderi sibi passus sit, hoc ita esse, quia maximè esse cupiebat, vt sub hac iuris specie Bauaros opprimeret? Sed pergamus. Postulat deinde Carolus, vt Saxoniæ Dux idem comprobaret suo testimonio. O vafritiem! O calliditatem! Cur precor hoc postulat? An quod Saxoniæ Dux efficere possit, Ioannem Regem dixisse, quod nunquam dixit, nunquam cogitauit? Scias licet, tametsi Saxoniæ Dux millies fuisset testatus, Ioannem Regem hoc dixisse suis tabulis, nunquam tamen fidem inuenturum, cum habeamus originales tabulas in contrarium. Sed tamen cur hoc postulat Carolus? Video, profectò video, quò spectet. Præparabat Electorum animos, vt hoc ipsum sine cuiusquam contradictione inserere posset Bullæ Aureæ, quam iam mente conceperat. Addit denique exemplar, in quam volebat formulam Saxonem rescribere. Quid opus fuit hoc exemplari? An nesciebat

bat Saxo, quâ ratione deberet concipere teſtimonium? Minimè, minimè. Sed aliud eſſe cauſæ ſuſpicamur. Hoc vnum Carolus maximè volebat, hoc vnum aucupabatur, vt Saxo quoque fateretur, Ioannis Regis tabulas, eò pertinere, quò præuaricatâ interpretatione ipſe traxerat.

His in eum modum compoſitis, cum præoccupati eſſent Electorum animi; cum flagrantiſſimâ gratiâ floreret Rupertus Palatinus Comes; cum ancipiti belli periculo Bauari implicarentur; breuiter, cum omnia in eo ſtatu eſſent, vt nihil Bauaris ad inuidiam, nihil Palatino ad fauorem deeſſe videretur, Rupertus Palatinus Comes, anno MCCCLVI. in Norenbergenſibus comitijs diploma quoddam elicuit, quo Electores Principes Dapiferatum & Electoratum Comitatui Rhenenſi annexum aſſeuerant. Nihil ſanè facilius fuit quàm id impetrare. Habebat enim Imperatorem in partibus: Imperator verò in ſententiam ſuam Electores traxerat.

Refer-

Reſcripſerant enim omnes ſecundum formulam à Carolo præſcriptam. Conſenſum iam erat à ſingulis, quod inter omnes quæri debuerat. Et quid mirum, in priuato negotio, ab æui ſui viciniâ remoto, tot denique familiaribus pactis inuoluto, tam feliciter eis potuiſſe imponi? Viderant enim ſolum Rudolphum Palatinum Rheni Comitem in electione Ludouici Romanorum Regis tuliſſe ſuffragium: Sed ignorabant ex pacto factum eſſe. Viderant præterea Rudolphum ſuperioris Rudolphi filium, Guntherum Schvvartzenburgium admouiſſe Imperio: ſed hoc factum eſſe ex vi Papienſis tranſactionis non nouerant. Videbant denique Ioannem Bohemiæ Regem teſtimonio ſuo Rudolphum inter Electores recipere: ſed neſciebant dignitatem illi communem eſſe cum Bauaris. His argumentis decepti, his coloribus obumbrati, decretalem ſtilum acuerunt in alienam iniuriam.

Nemo erat qui pro Bauaris aſſurgeret,

& ſic reſponderet: in tabulis Ioannis Regis mentio facta eſt Papienſis tranſactionis: inſtrumentum illud Ruperte cedò, vt ſciamus, quid cum patruelibus tuis pactus fueris. Cuiuis res ſua eripi poſſet, ſi ea quæ ſtrictim relata ſunt in aliquas tabulas, non conferantur cum inſtrumento originali. Poſſunt quædam omiſſa eſſe in Ioannis Regis tabulis, quæ cauſæ tuæ officiunt. Fuerint Palatini Comites in poſſeſſione: non conſtat tamen poſſediſſe in ſolidum. Plures eandem rem pro indiuiſo poſſidere poſſunt. Audiendi ſunt ante omnia Bauari, vt ſciamus, quid reſponſuri ſint tuis argumentis.

Hæc, & id genus alia tunc dici potuiſſe, res ipſa oſtendit. Et certè, ſi iuſtè, atque ordine facere vellent, Bauaros ad defenſionem vocare debuerant. Sed quid? Vt Electoratum Comitatui Rhenenſi annexum teſtarentur, ſatis argumenti eſſe putabant, quod Palatinos ſolos poſſediſſe crederent. Audiamus tamen illud diploma, in quo

totum

totum intentionis suæ fundamentum Palatini constituunt, quò facilius refutari possit.

Nos Carolus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex, recognoscimus publicè per præsentes, & notificamus cunctis ipsas intuentibus, seu legi audientibus: Quod nos cum omnibus Principibus Electoribus, Ecclesiasticis & secularibus, & ipsi nobis cum voluntate communi, & vnanimiter, in Imperiali nostrâ Curiâ Nurenbergæ deliberauimus, & concordauimus, & cum iure & sententiâ inuenimus, declaramus, & pronuntiamus pro iure, tanquam Rex Bohemiæ Sacri Romani Imperij Archipincerna, & Coëlector præfatorum Principum; ex quo Rupertus senior Comes Palatinus Rheni Sacri Romani Imperij Archidapifer Dux Bauariæ, est in possessione vocis, & electionis, in electione Romanorum Regis futuri Imperatoris, & etiam in possessione & Dominio seu vsu habet Principatum Palatinatus, Archidapiferiam, terras, vasalla-

gia, cum omnibus pertinentijs, super quibus electio, & vox Comitatus Palatini Rheni fundata est, sicut hoc nobis, & omnibus Principibus præfatis, & cuilibet liquidum est, & notum sine hæsitatione quacumque; Quod meritò dictus Rupertus admittendus est, & Nos ipsum de iure admisimus, & admittere volumus, & debemus, ad quaslibet causas, & omnia facta, quæ Nos, & antefati nostri Coëlectores tractabimus, vel faciemus, pro honore, & vtilitate Sacri Romani Imperij, & eiusdem fidelium subditorum, omnimodè, sicut de iure & honestà laudabili consuetudine Comes Palatinus Rheni Archidapifer Sacri Imperij, & Princeps Elector, meritò admitti debet:

Etiam inuenimus, & pronuntiamus tanquam ius, & pro iure, si ita contingeret, quod aliquis antedictum Ducem Rupertum pro eiusdem Electione, & voce Electionis Romani Regis futuri Imperatoris, impetere vellet, quod eiusmodi impetitionem facere non posset, nec deberet, nisi prius impeteret Principatum,

&

& terras prænarrati Palatinatus, Archidapiferiam, seu officium Dapiferiæ, vasallagia, & quidquid huiusmodi ad Palatinatum pertinet, & eam obtineret, sicut iuris est. Quia nos cum iure & per sententiam inuenimus, quòd Electio & vox super principatum, & super terras Palatinatus, & super Archidapiferiam taliter fundatæ sunt, quod vnum sine alio persistere non potest: Sed oportet ea, simul in omni impetitione, tam in damno, quàm in lucro inseparabiliter permanere. Harum testimonio litterarum, nostro Imperiali sigillo sigillatarum. Datum Nurenbergæ, anno Domini MCCCLVI. *quintâ feriâ post Epiphanias Domini, regnorum nostrorum anno decimo, Imperij verò primo.*

Dic sodes, mi Antagonista, quid existimas de hoc diplomate? Vtrum sententia est? an priuilegium? an testimonium? Aliquid horum esse necesse est. Nam quid præterea dici possit, non inuenio. Possem tibi vnico verbo respondere. Sed volo scire quid ipse sentias. Vin' sententiam esse?

Hoc dici quì poteſt? Vbi nihil ordine, nihil legitimè factum eſt? Nonne iudicium conſtitutum, litem conteſtatam eſſe oportuit priuſquam ferretur ſententia? Nullum hìc fuit iudicium, omnino lis nulla fuit. Iudicium incipit à citatione. Si aduerſarius non vocetur, non eſt iudicium. Vbi non fuit iudicium, ibi non eſt ſententia. Quis Stephanum, & Ludouicum Bauariæ Duces in ius vocauit? Præſentes non fuiſſe conſtat. Nam ſine diſcrimine comitijs illis intereſſe non poterant. Bellum ijs indixerat Carolus Imperator: cum Palatino Comite fœdus contraxerat, & armatâ manu Bauaros perſequi ſtatuerat. Ait enim Henricus Rebdorffius ſcriptor coætaneus: *Menſe Ianuario Imperator Carolus conuocat curiam in Nurenberg: in quâ Archiepiſcopi Moguntinenſis, Treuirenſis, & alij Principes conueniunt Electores, & quàm plures alij. Sed filij Ludouici duo, Ludouicus Marchio Brandeburgenſis, & Dux Stephanus ad hanc curiam non conuenerunt, timen-*

tes potentiam prædicti Imperatoris. Sententia igitur illa prorſus eſt nulla: quia lata eſt, nec citatis, nec auditis aduerſarijs *a.* Et conſequenter, per eiuſmodi ſententiam iure ſuo nemo priuari poteſt *b.* Forte inquies, Carolo Imperatori integrum fuiſſe, ex officio in veritatem inquirere. Solet fieri in crimine: in re priuatâ & familiari non ſolet. Concedamus interim fieri poſſe. Ex eâ tamen quæſtione damnari Bauaros non poterat ſine legitimâ citatione. *c* Quippe inauditâ parte non eſt credendum alieno teſtimonio *d.*

Sed Bauari appellati fuere ad Comitia. Fuerint appellati ad comitia, vltro tibi id lubens largior. Quid poſtea? Aliud ſunt comitia, aliud priuata iudicia. Comitia ad ordinandum publicum ſtatum indicuntur, ad priuata iudicia non pertinent. Futurum in comitijs illis de Electoratu iudicium, diuinare Bauari non poterant. Multa ſanè exiguntur vt damnari abſens, & de poſſeſſione ſuâ deijci poſſit. Vocandus

a l. 2. & ibid. Bald. C ſi per vim vel alio mod. l. 1 §. item cum ex edicto D de ſent. quæ ſine appell. reſcin.
b c 1 de feud. ſine culp non amitt. Anchor. conſil. 8. & conſil. 88. Alexand. conſil. 33. vol.
c Clem. paſtoralis de re iudicat. Roman. conſil. 245.
d Clement. paſtoralis.

dus eſt in primis in ius, circumducendum eſt edictum & reddendus contumax. Alias legibus, & moribus, maiorumque inſtitutis non rectè peruenitur ad ſententiam, tametſi Imperator ipſe iudicet *e*.

e d. Clem. paſtoralis Abb. ad c. 1. de cauſ. propriet. & poſſeſſ. Bald. ad l. vlt. C. de legib.

Sed quid ego tam anxiè in hæc inquiro? Fac nihil horum obſtare. Putemus Bauaros fuiſſe contumaces. Quæro vlterius, quis in eâ causâ iudicem egerit? Si iudicium fuiſſe contendas, iudicem aliquem fuiſſe oportuit. Non eſt iudicium ſine iudice. Quis, inquam, iudicem egit in hac causâ? An Carolus Quartus Imperator? Alius nemo de hoc negotio, quàm Imperator cognoſcere poterat. Atqui ille tamen diſertis verbis ait, ſe declarare & pronuntiare tanquam Regem Bohemiæ, Sacri Romani Imperij Archipincernam, & Coëlectorem? Mitte oculos tuos in diploma: expende obſecro hæc verba: *Declaramus & pronuntiamus pro iure tanquam Rex Bohemiæ, S. R. I. Archipincerna, & Coëlector.* Non dicit ſe pronuntia-

nuntiare tanquam Imperatorem. Quà Imperator legitimus iudex esse poterat: quà Rex Bohemiæ, quà Elector, esse non poterat. Sed quà Imperator non pronuntiauit. Ergo quà Rex Bohemiæ, quà Elector, perperam fecit, & sententiam ipso iure nullam dixit. Nam quod non à suo iudice pronuntiatum est, neminem constringit *f*. Quod neminem constringit, est nullum.

f l. vlt. C. si non à compet. iudic.

Quæro præterea, si supradictum diploma continet rem iudicatam, cur Rupertus Palatinus Vrbani Quinti Pontificis Maximi consensum exegerit? An non satis sibi cautum putabat per sententiam, quæ pro veritate habetur, & retractari amplius non potest, quoties transiuit in rem iudicatam? An potius arbitratus est, sententiam de feudo Imperij latam, sine Pontificis auctoritate non posse subsistere? O scrupulum incredibilem, & Principe indignum! Non, non, longè aliud agebatur. Vis dicam quid? Credebat Electoratum in

ſuâ origine Pontifice Maximo auctore Bauariæ annexum, ſine conſenſu eius auelli inde non poſſe.

Quæro denique, cur deinde Ludouicus Palatinus confirmationem ſupradicti diplomatis implorauerit à Sigiſmundo Imperatore? Nonne quod ſatis intelligebat, totum illud negotium retractari poſſe, ſi excitati aliquando Bauari, ius ſuum repeterent? Hoc ſanè erat, quod tam anxij & ſolliciti Palatini ſemper fuerint: quod tot bullis archiua impleuerint: quod ab vno Imperatore ad alium confirmandi gratiâ conuolauerint.

Quid multis? tu'ne ſententiam dicere audebis, quod Sigiſmundus Imperator in ſuis tabulis, informationem & teſtimonium appellat? Putaſne ſi ſententiam eſſe crediďiſſet, fuiſſe confirmaturum? Nemo mihi perſuaſerit, illum doctiſſimum, illum prudentiſſimum Imperatorem hoc neſciſſe, ſententiam non egere confirmatione.

Sit

Sit ita, inquies, non sit sententia, dummodo priuilegium esse concedas. Si tu priuilegium dixeris, scias licet, Imperatorem cum totâ suâ Maiestate, ius suum alteri per priuilegium auferre non posse, sine iustâ & publicâ causâ. Quò spectat autem hoc priuilegium? Nonne vt Electoratum Bauaris auferat à suâ origine Ducatui affixum? Nonne vt vim transactionis infringat, quam mirâ animi bonitate & clementiâ, & mansuetudine Ludouicus Imperator cum fraternis liberis pepigerat? Nonne vt suam Dominis possessionem extorqueat? Vt naturæ legem violet? *Detrahere aliquid alteri* (inquit Cicero [h]) *magis est contra naturam quàm mors, quàm dolor, quàm paupertas, quàm cætera quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis.* Iterum dico, cum omnia Cæsari liceant, tantum ei non licet, vt sine iustâ causâ alterum spoliet, & societatem humanam, quæ maximè est secundum naturam disrumpat, naturamque ipsam impugnet, atque

[h] Officior. lib. 3.

euertat. Antigonus Adulatori dicenti, omnia iusta esse Regibus, ita, inquit, barbaris & tyrannis. Dionysius autem Siculus, alioqui tyrannus, matri respondit, Syracusanas se leges tollere posse, naturales non posse. Proprium est Maiestatis posse quantum velit: naturalis tamen ratio quantum possit, velle non patitur. Meri sunt adulatores, qui supra leges Principem eleuant, qui libidini eius cuncta subijciunt, qui clausulas *PROPRIO MOTV, EX CERTA SCIENTIA, NON OBSTANTE*, detorquent in alterius incommodum. Demus enim clausulam *MOTV PROPRIO*, vitium obreptionis & subreptionis tollere *i*: ius tamen alteri quæsitum non adimit *l*. Quoniam ita semper interpretanda sunt beneficia Principum, ne cuiquam iniuriam inferant. *m*. Ius enim gentium hoc non patitur, quod naturali ratione est immutabile *n*. Principatus submissus est legibus *o*: & tantum Principi licet (inquit Pacatus in Panegyrico Theodosij) quàm per

i c si motu proprio de præbend. in 6
l d. c si motu proprio Bald. ad c. ad audientiam de rescript late. Alex. consil. 215. volum. 7. n. 1. & 2.
m l. 1. § merito & § si quid à Principe D ne quid in loco publi. l. rescripta 7. C de precib. imperat. offer l. si priuatus D qui & à quib. inanimiss notata ad c abeo de elect. in 6.
n c sed naturalia Instit. de iur. natur. gent. & ciuil.
o l digna vox C de legib.

per leges licet. Nihil igitur poteſt in alterius iniuriam, niſi publica neceſſitas ad hoc eum coëgerit, quantumuis maximè vtatur plenâ & abſolutâ poteſtate. Quippe plena & abſoluta poteſtas, merè eſt ordinaria in principe *p*. Aliam abſolutam poteſtatem præter tyrannicam non agnoſcimus *q*.

Hinc legibus noſtris prudenter conſtitutum eſt, priuilegia, beneficia, & reſcripta non aliter indulta cenſeri, quàm ſi non vergant in alterius damnum vel iniuriam *r*. Et ſi contra ius elicita fuerint, ab omnibus iudicibus refutari præcipiunt *s*. Quid eſt reſcriptum contra ius elicitum: nunquid id, ex quo alicui infertur iniuria? *t* Vſque adeo hæc ita ſe habent, vt ſi clauſula, *SALVO IVRE TERTI*, omiſſa fuerit, ſemper tamen ineſſe intelligatur *u*. Quæ fuit iuſta cauſa, vt Electoratus auelleretur à Bauaris? Nulla. Quæ fuit cauſa publica? Nulla. Totum hoc negotium Palatinorum commodum priuatim reſpexit.

p Vaſqu. lib 1. illuſtr. quæſt. cap. 28. n. 18.

q Anton. Theſaur. deciſio. Pedemont. 91 n. 1. Couarru. lib. 3. variar. reſolut. cap. 6. n 6.

r l nec auus C de emancip. libe. l prætor § merito & § ſi quis à principe D ne quid in loc. public. c. ſuper eo x de officio & poteſtat. iudic. deleg. c. quamuis de reſcrip. in 6.

s l. reſcripta 7. C de precib. Imperat. offer.

t Anto. fab. in Cod. lib. 1. tit. xi. defin. 1.

u c. ſi quando § vltim. x de reſcript c. ſuper eo x. de criminib. falſ. d. l. vlt. C. ſi contr. ius vel vtilit. publ.

Omnis hæc scena in vtilitatem eorum composita & instructa fuit. Quid ergò restat, nisi vt hoc priuilegium dicamus nullum, quod vergit in Bauarorum iniuriam, quod contra legis præscriptum ius suum Bauaris eripit, quod de possessione suâ Bauaros deturbat? Verumtamen si verum volumus, non est priuilegium. Solius est Imperatoris in Germaniâ eiusmodi priuilegia concedere. Diploma hoc non proficiscitur à Carolo Quarto vt Imperatore; sed vt Rege Bohemiæ, & Principe Electore: in quâ qualitate nullam habuit potestatem irrogandi priuilegia.

Quid tandem esse dicemus? Non est sententia, non est priuilegium. Quid igitur? Mera declaratio est, merum testimonium. Sigismundus quoque Imperator, non sententiam, non priuilegium appellat: disertis verbis appellat testimonium. Iam verò scire velim, vtrum existimes declarationem in formâ communi factam, ius aliquod conferre non habentibus. Er-

ras, profecto erras, si hoc putes. Qui declarat, nihil dat, sed tantummodo datum significat *x*: semperq; hanc conditionem tacitè imponit, si datum sit quod datum significat *z*: breuiter si preces veritate nitantur. Et proinde, si datum fuisse non appareat, nullam planè fidem facit: sed legitimis probationibus ius datum ostendere conuenit *a*. Hæc declaratio tandem quomodo concepta est? scilicet in formâ communi. Quippe decreta est sine causæ cognitione. Nihil igitur Palatinis contulit: ac proinde vobis probandum est, fuisse eis ius datum ante declarationem.

x Molinæ. late ad consuetud. Parif. tit. 1. § 8 gloss. 1. in verb. denombrement n. 87.

z Molinæ ibid.

a Molinæ loc. cit.

Atqui, inquies, Imperator & Electores Imperij absolutè testantur, Electoratum spectare ad Palatinos Rheni, tanquam Palatinatui Rhenensi annexum. Quid postea? Non est vsquequaque credendum testimonijs *b*. Quantusquantus sit Pontifex Maximus, fidem tamen ei omnino non habemus, quoties de alieno facto testimonium scripsit *c*. Asseuerauerit hoc Imperator,

b l. 3. § idem diuus D de testib.

c Tiraquell. de retract. lignag. § 1. gloss. 18. in 49.

perator, asseuerauerint Electores Principesque Imperij, immo quotquot est vsquam hominum, vno ore, vnâ voce idem pronuntient, an ideo ad Palatinos pertinet, cum in lucem prodeat manifesta veritas in contrarium? Quid si ad Hessum aut Brabantum? Quid si ad Gallum vel Anglum pertinere dixissent, num aliquid horum ita esse putares, idcirco quod ita dixissent? Non magis, opinor, quàm si pro Persis vel Turcis tulissent testimonium. Cum Imperator ius esse decernit, quod ius non fuit, facilè tibi concedam, pro iure seruandum, quod decreuerit *d*. Quia condere ius potest pro arbitrio. Quoties autem facti quæstio est, & factum esse fatetur quod factum non fuit: non magis quod factum non fuit, effectum facere potest, quàm quod factum est, infectum reddere.

d l. vlt. C de legib.

Sed nonne sacrilegium est, tot Principibus fidem adimere? Imperatorem cum Electoribus in falsi crimen trahere?

Potest-

Poteſtne hoc tantis viris hærere peccatum? Abſit, abſit, ego eos reos non facio, falſi non accuſo, ſceleris non arguo. Quid ergo? Vniuerſis obreptum eſse contendo. Quia diploma illud impetratum eſt ex falſâ cauſâ: quia preces veritate non nitebantur: quia Rupertus Palatinus Comes callidiſſimè ſubticuit omnia, quæ deſiderium eius excludere poterant. Ignorabat'ne maiores ſuos Bauariæ Duces in continuâ hæſiſſe Electionis poſseſſione? Demus tamen id ignoraſse. An neſciebat, poſt VVilhelmi Imperatoris mortem Bauaros & Palatinos coniunctis ſemper elegiſse ſuffragijs? Demus id neſciſse quoque. An ſaltem non meminerat, tranſegiſse ſe cum Ludouico Imperatore, vt alternatim eligerent? Hoc certè neſcire non poterat. Et tamen in comitijs Nurenbergenſibus ſolertiſſimè diſſimulauit? Tranſactionem illam ſilentio abſcondit? Papienſes tabulas ſciens occultauit? Si vellet legitimum habere reſcriptum, explanaſse hæc ad vn-

 guem

guem debuerat. Reticere enim non poterat, nisi vt Electoribus manifestè obreperet. Quid aliud est obrepere, quàm iuris aut facti narratione mendacium proponere, vel tacendi fraude veritatem abscondere e? Si dixisset transegisse se cum Ludouico Imperatore eâ lege, vt vicissitudinaria esset electio, putasne Principes Electores peruenturos fuisse ad hoc testimonium? Minimè certè. Fuerint inimicissimi Ludouico Imperatori, caput eius diris deuouerint, innocentiam eius palam proscripserint, de solio deturbare tentauerint, fecerint ægrè & malignè quidquid potuerint; non habebant tamen cur liberis eius tantopere irascerentur, vt in necem illorum conscientiæ suæ vim inferrent, & pro alienâ cupiditate & libidine falsum darent testimonium. Quid igitur tibi vis cum isto diplomate? Quæris an Electores asseuerauerint, Electoratum esse Palatinatui coniunctum? asseuerauerunt; sed decepti. Quæris an affirmauerint id

e l. 2. C si cont. ius vel vtilit. publ.

ſe comperiſſe? affirmauerunt; ſed circum-uenti. Quæris an in eam rem teſtimonium dederint? dederunt; ſed circumſcripti. Omnis antiquitas ſtat à nobis. Refragatur iuſta & continua poſſeſſio. Pacta & ſacramenta reclamant. Veſtiga electiones omnes ante Caroli Quarti ætatem: inquire in annos, & diligenter computa, ſemper tibi occurrent Bauari, nuſquam eos inuenies excluſos, niſi vel ætas, vel priuatæ conuentiones ad tempus remouerint. Fuerunt ab initio poſſeſſores in ſolidum: diuiſâ poſtea cum Palatinis familiâ, pro indiuiſo poſſederunt. Quomodo igitur Electoratus Comitatui Rhenenſi affixus fuit? cum ante Palatinatum adeptum Bauari continenter poſſederint? cum Rudolphus Imperator longè ante Caroli Quarti ætatem ſolemni ſententiâ Bauariæ annexum pronuntiauerit? Quis inde detraxit, & Palatinatui aſſuit? Ede tabulas, profer argumenta, dic quando, dic quemadmodum, dic quare. Non curo hoc diploma, ad

quod tanquam ad extremum tribunal solletis prouocare. Subreptitium est, nullum est. Patent artes quibus extortum est. Extulit se interuersa veritas, & è nebularum caligine pura emergit.

Iam verò; quid Bullam Auream nobis obijcis, ex eodem fonte traductam, ijsdem comitijs conflatam, eodem morbo infectam? Non habes quod in illâ tibi tantopere applaudas. Si vellem referre singula, quæ contra responderi possunt, nimis longa esset oratio. Faciemus hoc latius infra suo loco. Quæro hìc tantum, vtrum potuerit Bulla Aurea Palatinis tribuere quod non habebant, necne? si non potuerit, quemadmodum tribuit? Si potuerit, quemadmodum fecit? Nam de Electoratu specialiter non disponit: nec Bauaris directè aufert, nec Palatinis directè confert. Quid igitur? verbis narratiuis simpliciter enuntiat ad Palatinos spectare. At hoc illud est quod quærimus. hoc falsum esse paullo ante probauimus. Verba

narra

narratiua in reſcriptis vel quacumque aliâ diſpoſitione comprehenſa, in conſiderationem per ſe non veniunt *f*. Et proinde nihil conſerunt, nullam denique fidem faciunt in alterius præiudicium *g*. Quia non ſtant per ſe, ſed propter aliud proferuntur *h*. Sed Bulla Aurea lex eſt, non reſcriptum. Putas'ne intereſſe inter legem & reſcriptum? In cæteris iſta differant: hac in re nihil differunt. Si quid geſtum narretur in reſcripto, non eſt reſcriptum, ſed reſcripti cauſa. Si quid in lege, cauſa quoque eſt, non ſanctio legis. Ideoque ſi narratio rei propoſitæ graui incommodo Tertium afficiat, hactenus ſemper fas fuit, eo nomine prouocare ad Principem. Quoniam non eſt credendum, Principem ſic legem ferre velle, vt eripiat rem alienam, vt de poſſeſſione ſuâ dominos exturbet, & poteſtatis ſuæ limites egrediatur. Iam verò quid Bulla Aurea? Ponit Electoratum ſpectare ad Comitatum Rhenenſem: quia legiſlator eò ſpectare puta-

f l. ex hac & ibi Bartol. alijque D de donat.

g Crauett. conſil. 498. n. 7. VVeſenbe. conſil. 299. n. 14. vol. 6.

h Alexand. conſ. 18 lib. 7.

putauit. Sed hic merus eſt error, qui originem traxit ex ſupradicto teſtimonio. Cum igitur conſtet, teſtimonium illud nullius eſſe momenti, Bullam quoq; Auream hac in parte corruere neceſſe eſt. Cohærent enim hæc inter ſe: alterum alterius fundamentum eſt: nec tempore diſiunguntur, nec cauſâ. Nam eodem loco, ijſdem comitijs, ab ijſdem Electoribus Bulla Aurea compoſita fuit, à quibus ipſum teſtimonium promanauit.

At ſummus Pontifex, cum Sigiſmundo Imperatore diploma illud veſtrum confirmauit. Concedo interim. Quid tamen facit confirmatio? Si peritis iuris credimus, nihil noui iuris confert; ſed quod datum eſt tantummodo corroborat *i*: tacitamque in ſe continet conditionem, ſi res ita ſe habeat *l*. At verò diploma veſtrum eſt nullum. Vana eſt igitur, & inanis confirmatio. Nam vbi quod confirmatur nullum eſt, ibi quoque confirmatio nulla eſt. Quod enim eſt nullum,

i Molinæ ad conſuet. Pariſ tit. 1. §. 8. gloſſ 1 n. 88.

l Molinæ loc cit. Rebuff. tract. de decim quæſt 13. n. 90. & 91.

lum, perinde habetur, ac si factum non esset *m*. Quod autem non est, confirmari non potest, ne quidem EX PLENITVDINE POTESTATIS, vel CERTA SCIENTIA. Prior enim clausula nullam vim habet in præiudicium Tertij, nisi interuenerit cognitio causæ *n*. Posterior verò non prodest, nisi in his in quibus Princeps præsumitur habere indubitatam scientiam; veluti, cum de iure agitur, non de facto *o*.

m l. 1. § hæc autem D quod quisqu. iur in alt. stat. &c.

n gloss. in c. 1. & 2. x de consuetud. Alexand. consil. 217. n. 7. volum. 7.

o Ioann. Gutier consil. 11. n. 17.

Sed tempus est, mi Antagonista, & plusquam tempus, vt argumentis tuis occurram, quibus tam futiliter mercenariâ loquacitate in Gevvoldum blaterasti. Quamuis inepta sint, & oppidò frigida, posteritatis tamen causâ paucis refellenda sunt: ne defuisse potius quod reponerem, quàm contempsisse me imperitiores existiment. Nihil enim est tam friuolum, quod non possit aliquo colore defendi, præsertim ab his, qui inquirendæ veritatis laborem defugiunt. Nisi omnes istæ cauillationum nubes dissipentur, adhuc manebit suspecta veritas.

Prima

Prima criminatio tua eſt, falſum eſſe, quod Gevvoldus aſſeruit: *Electoratum à primâ origine indiſſolubili nexu Bauariæ annexum.* Num hoc adeo nouum, vt tam confidenter audeas falſum dicere? Dixit hoc Gevvoldus: ſed plures cum illo. Fides numinum! qui viri? quorum tu vel vmbram reformides. Nemo eos hactenus non laudauit, niſi qui non nouit, nemo vituperauit, niſi mentiretur. Volo eos tibi nominare? Goldaſtus lib. 1. ſuarum conſtitutionum, & reſcriptorum Imperialium. R. P. Gretſerus in commentarijs de Principum Electorum origine. R. P. Andreas Brunerus parte 2. libro 7. rerum Boicarum. Auentinus in Annalibus Boicorum libro 7. Ecce illi omnes vno quaſi ſuffragio in hanc ſententiam conueniunt. Et tu adhuc audes falſam dicere? Tantos viros mendacij argue, ede monumenta, exhibe exempla, profer teſtes in contrarium. Scis probè, ſecundum iudiciorum formulam, non eſſe ſatis dicere, niſi probaue-

baueris. Quot verba hactenus congessisti? quantopere petulanti stilo sudasti? Quot annalium volumina, quot sibyllarum folia perlustrasti, & tot adhuc studijs, tot vigilijs, tot ærumnis neminem Palatinorum in lucem eruis, neminem nominas, qui in Electorum se Principum comitia intruserit. Certum est te nullum habere exemplum: sed tantum laboras, vt ostendas, nostram quoque sententiam non niti exemplis. Nec aliter oppugnas, quàm quomodo peruicaces solent, negando ita rem se habere.

Pergis enim, & ais; *Nullo argumento, nullo exemplo, probari posse Electoratum ad Bauaros spectasse.* Itane verò? Nullum planè habemus argumentum? Quid igitur aduersus Ottocarum Bohemiæ Regem actum fuit? Quis status causæ istius? Quid Rudolphus Imperator pronuntiauit? Nunquid Electoratum ab antiquo Bauariæ annexum? Quid vis amplius? quid clarius? quid apertius? Nullum denique habemus

exemplum? Quis igitur Conrardum Salicum elegit? Bauarus. Quis Rudolphum Sueuiæ Ducem? Bauarus. Quis Henricum Quintum? Bauarus. Quis Lotharium Saxoniæ Ducem? Bauarus. Quis Fredericum Primum? Bauarus. Quis Philippum? quis Fredericum Secundum? Bauarus, Bauarus. Et hæc omnia adhuc acta sunt, priusquam Comitatum Rhenensem Bauari adipiscerentur. Vbi tunc erant Palatini Comites? Vbi morabantur? Vbi latebant? Si Electores fuerint, quare non progressi sunt ad comitia? Quare electorale munus exequi supersedere? Quare passi sunt Bauaros hærere in continuâ & pacificâ possessione? Quare ius suum non vindicarunt? Vnde illa patientia? Vnde consensus? vt per tot annos sine querelâ, sine motu, sine disceptatione, aut protestatione ius suum vsurpari permitterent? Quid? ista res non commouisset eorum animos? non contradixissent? non reclamassent? Credat hoc quispiam? Si quis eis vel vnum

abstulis-

abſtuliſſet pedem terræ, confeſtim & ſine morâ conuolaſſent ad tribunalia, prouocaſſent ad leges, concurriſſent ad arma: & tam ſplendidum Imperij officium, tam præclarum familiæ ornamentum, ſecuro animo, conniuentibus oculis, quaſi obturato ore, conſtrictâ linguâ, & colligatis manibus detrahi ſibi, atque auferri potuiſſent aſpicere? O incredibilem vecordiam! O admirabilem patientiam!

Sed priuſquam pergo, liceat mihi te affari paucis verbis. Velim enim ſcire, quando Electoratum ad Palatinos perueniſſe exiſtimes. Dices, à primâ inſtitutione? Quì fieri id potuit?

Saluâ Palatinorum pace dixerim, necdum eâ tempeſtate in tantum faſtigium ſurrexerant, vt vel poſſent, vel auderent aſpirare ad hanc dignitatis prærogatiuam, quæ diſponeret de fato Imperij, inter tot Principum factiones, de ſuis ſibi viſceribus Regem deſtinantium. Nam cum ad priſca illa comitia totius ferè Germaniæ, Ita-

liæque Principes concurrerent, immensâ nobilitatis multitudine stipati; multa sanè in Septemuiris desiderabantur. Putare enim debes, ita fuisse in altum editos, vt ab omnibus inuidiæ ventis circumflari, & turbinum tempestatibus percelli possent. Atque ego sic existimo, summam ijs debuisse inesse auctoritatem, qui sacratissimum caput, sine delectu, sine armis, sine exercitu summæ rerum imponerent. Quorum suffragijs gentium Principes, terrarum populi, sacri atque profani acquiescere, electumque Dominum adorare tenebantur. Vt non immeritò, minorum gentium Principibus, ad sublimem illum gradum non pateret accessus: sed ijs tantum, qui illustrissimâ nobilitate inclyti, ad tantum munus parem magnitudinem atque magnificentiam adferre poterant.

Vnde autem Palatinis Rheni Ottonis Tertij ætate ista auctoritas? An ex potentiâ? Ea certè tanta non fuit, quantam amplitudo officij postulat. Neque hæc est

mea;

mea; ſed omnium ſententia, qui libero & virili animo, nulloque affectu vel adulatione occupato, hac de re iudicium interpoſuere. Michael Beutherus in Septemuiratu; *ſi conſideremus*, inquit, *quis tum* (loquitur de ætate Ottonis Tertij) *Palatinatus Rheni ſtatus atque auctoritas fuerit, liquidò conſtabit, illam tam potentem non fuiſſe, vt præ omnibus alijs politicorum Germaniæ Principum familijs, eligendi Romanorum Regis, vel Imperatoris ius in ipſam conferretur.* Non nego equidem, circa Henrici Quarti Germanorum Regis tempora, paullo altius extuliſse ſupercilium: ante tamen cum principibus conferri potuiſse, nego. Nam Sebaſtianus Munſterus *p*, quondam Heidelbergenſis Profeſsor (qui archiua Palatinorum Rheni diligentiſſimè ſcrutatus eſt) liquidò oſtendit, ante quingentos annos, vix vnum oppidum circa Rheni tractum habuiſse in poteſtate: Sed quæcumque hodie illic poſſident, vel ab Imperatoribus oppignorata, vel à Mogun-

p lib 3. Coſmograph. tit. de Palat. Rheni.

tino, VVormatiensi, & Spirensi Episcopis, per infeudationem translata, vel emptionis titulo à Duce Sueuiæ, & Marchione Badensi comparata, suo tandem iunxisse dominio. Et vt Munsterum minimè falli existimes, curiosâ diligentiâ tempora dinumerat, annos exprimit, causas assignat, quibus vnumquodq; oppidum cum suo territorio, ad eos concesserit: ex quo denique potentia illa, quam hodie suspicimus, incrementum viresque cœperit.

Quod si hæc ita sint: iterum quæro, vnde Palatinis ista auctoritas Ottonis Tertij ætate, vt supra Bauarum auderent assurgere? An propter magnitudinem familiæ? Si hoc tibi vis, nomina igitur illam nobis. Postulo id à te; & non de nihilo postulo. Quippe Freherus ille tuus, ille inquam fartor Palatinæ originis, totam incertam, obscuram, atque incognitam dixit. Quidam etiam ex nostris, in eâdem palpantes caligine, tradiderunt Palatinatum Rheni, nunc per hanc, nunc per illam errasse familiam.

miliam. Munſterus verò hoc amplius ait, pleroſque exiſtimaſſe, Palatinos Rheni tantum fuiſſe ſimplices nobiles ſub Ottone Tertio. Tu verò quid cenſes? Putas'ne ſupra Principes, vel ſaltem pari gradu ſtetiſſe cum Principibus, an infra? Si ſupra, oſtende magnitudinis argumenta. Nulla enim extant veſtigia in antiquitate: de ſerie familiæ non conſtat. Cum Ducum, Principum, Illuſtriumque Comitum nomina in annalibus paſſim occurrant, altiſſimo vbique ſilentio Palatini Rheni abſcondũntur. Si putas ſtetiſſe infra, quemadmodum igitur Electores facies? Nihil enim habebant, vt ſupra cæteros criſtas attollerent. Milites tantum fuiſſe oportuit: Sed milites Primi gradus. Nobiles enim ea ætas, militum titulo ornare conſueuerat, & in duos ordines diduxerat, Primos, & Gregarios *q*. Primi habebantur, quos in Auratorum equitum numerum Princeps ſolebat adoptare. Et hi, ſi à Ducibus feudum acceperant, valuaſores appella-

q VVippo in vita Conrard. Salic.

ban-

bantur. Gregarios alio nomine ſcutiferos dicebant: quia inter pedites militabant ſcuto inſtructi, VVippo autem, in Primorum Ordine Comites repoſuit.

Obſecro tamen, quid fuere Comites illâ tempeſtate? Nam vt de Romanis taceam, apud quos Comitatus honoris magis titulus, quàm officij fuit, ac communis ferè omnibus dignitatibus & militijs, quòd plerumque Principem comitarentur, vnde etiam nomen acceperunt: certè ſub Francorum regno, magiſtratus nomen fuiſſe conuenit. Nec aliud erant Comites, quàm iudices, & præfecti alicuius ciuitatis, regionis, vel territorij à Rege conſtituti *r*. Nam veteri Saxonum linguâ, *Graue*, hoc eſt, Comes, iudicem ſignificat *s*. Quorum alij Landtgrauij, hoc eſt, regionum Comites: alij Marckgrauij ſiue Marchiones; hoc eſt, qui ad limites regni, vel Imperij conſtituti erant: alij Burchgrauij; id eſt, Caſtellorum Comites: alij Dincgrauij, qui ruſticorum iudicijs præerant *t*. Eandem

r Pithæus en ſes. memoires des Comtes de Champaigne Munſter. Coſmograph lib. 3. tit de princip. & domin.

s Munſter. eod. loco.

t Munſter. loc. cit.

dem ferè obtinebant poteſtatem, quàm Prætores olim Romani in prouincijs. Habebant enim ius gladij, mixtumque imperium iuriſdictioni annexum. Vnde ad curam eorum pertinebat, pacatum & quietum reddere territorium, quod regendum acceperant: malos homines, & latrones eliminare; & prout quiſque deliquiſſet, in eum animaduertere: executioni mittere iudicum ſententias: fiſcales mulctas exigere: miſeris, viduis, pupillis patronos dare non habentibus: eorum deſideria querelaſque admittere. Hinc legibus Germanicis, quæ à primis Regibus, & Imperatoribus ſancitæ ſunt, ſola fit mentio Principum & Semperfrien; hoc eſt, Baronum. Comitum verò, niſi vt iudicum, alia ratio non habetur *u*. Ex quo fit, vt in Bullis Romani Pontificis, Barones ſemper præferantur Comitibus. Denique in legibus Salicis, ſeuerius plectitur qui Baronem occiderit, quàm qui Comitem vitâ priuauit. Habebant enim Barones feuda

u Munſter. lib. 1 Coſmograph. tit. de princip. & domi.

vexillaria. Vnde etiamnum *Banderheeren*; hoc eſt, *Vanderheeren*, Belgis dicuntur. Quemadmodum enim regna conferebantur per gladium: ita & nobiliora feuda ſæcularia per vexillum, Eccleſiaſtica per ſceptrum, cætera per ſcipionem ſiue baculum.

x Munſter. loc. cit.

Prætereà ſi Comes peccaſſet in officium, ſi negligentius in eo verſaretur, beneficio ſuo priuari poterat *x*. Quippe ſuo iure non habebat; ſed creditum ſibi ex beneuolentià Principis, & merà voluntate, quemadmodum hodie gubernacula conferuntur. Conrardus demum Salicus, filiós & nepotes admiſit ad ſucceſſionem paterni beneficij. Quâ re, inquit VVippo *z*, militum animos admodum ſibi conciliauit.

z in vita Conrardi Salici.

Non ſum ego, ſed veterum monumenta, quæ infra hodierni ſæculi ſplendorem faſtumque, Comites proijciunt. Pauca è multis loca depromam, quæ meâ diligentiâ obiter collegi. Non erunt tibi, opinor, ſuſpe-

ſuſpecta, quia ex ſacratiſſimis legibus ferè deſumpſimus. In legibus Ripuarijs tit. 55. *Si quis iudicem fiſcalem, quem Comitem vocant, interfecerit.* Auentinus de edicto Caroli Magni, *Præfectum, quem Galli Grauionem vocant.* Francos autem intelligit, quorum antiquo idiomate *Graue*, præfectum ſignificat; traducto è Germaniâ vocabulo, vnde Franci originem traxerant. Flandri etiamnum præfectos littorum, *Dijcgrauen*, præfectos aquarum, *Watergrauen* appellant. Nec ſunt nomina dignitatis; ſed officij. Cuſtodiam littorum, & aquarum præſtare tenentur. Hinc etiam Comites Cuſtodes dicti. Legimus enim in cathalogo Epiſcoporum Leodienſium, Furcarium fuiſſe filium Cuſtodis Flandriæ. Et tamen etiamtum Comites erant. Quia marì, ac proximo eius territorio præfecti. Verba ſunt legis Francicæ; *Volumus, vt Comites qui ad cuſtodiam marinam deputati ſunt, quicumque ex eis in ſuo munere reſidet, de iuſtitiâ faciendâ ſe non excuſet, propter il-*

lam custodiam. In summâ, quicumque aliquam præfecturam à Rege acceperat, inter Comites numerabatur *x*. Præfecturæ autem vnum vel plures pagos complectebantur. Pagus verò regionis nomen fuit, siue territorij, in plures vicos vrbes'ue sparsi. Hinc pagus Alsatiæ, pagus VVormatiensis, pagus Ripuarius, pagus Taxandriæ; pagus Hasbaniæ, pagus Hannoniensis, pagus Atrebatensis, pagus Brachbantensis, pagus Morinensis, Menapiscus, & eiusmodi. Omnisque Heluetia, in quatuor pagos apud Cæsarem diuisa est. Comitibus per pagos, vrbesque, & vicos iura reddentibus, assidebant senatores, & consiliarij; centenarij dicti, ex antiqua Germaniæ consuetudine, de quâ Tacitus in libello de moribus Germanorum; *Eliguntur*, inquit, *Principes qui iura per pagos vicosq; reddunt. Centeni singulis ex plebe comites, consilium simul & auctoritas aderant.* Sed quod primo numerus, postea nomen & honor esse cœpit. Horum frequens mentio est in

x Singuli enim, singula territoria (inquit Otto Frisingensi lib. 1. de gest. Frede. Imperat. cap. 13.) ex comminandi potestate Comitatus suos appellarunt.

priscis

priſcis legibus: & inde Comites, in pleriſque Germaniæ regionibus Centgrauij vocabantur. Habebant præterea ſuos vicarios, quos Galli *Viguiers*, leges Longobardicæ & feudorum vſus præpoſitos nominant. Sed pergamus: leges Francicæ cap. 179. lib 4. *Vt nullus homo in placito centenarij neque ad mortem, neque ad libertatem ſuam amittendam, neque ad mancipia adiudicetur: ſed iſta in præſentiâ Comitis, vel miſſorum noſtrorum adiudicentur.* In legibus Salicis, tit. 54. *Si quis Grauionem ad res alienas inuitauerit, & eum admallatum non habuerit,* &c. *Item ſi Grauio ad alterius cauſam ſupra legem, aut debitum aliquid præſumpſerit, aut Werigaldum ſuum redimat, aut de vitâ componat.* Legibus Ripuarijs idem traditur tit. 52. qui inſcribitur, *ſi quis Grauionem ad res alienas inuitat.* Lege Salicâ tit. 56. *Fredus deinde ſoluatur Grauioni de ipsâ causâ, ſi conuictus fuiſſet.* Legib. Franc. lib 4. cap. 4. *Præcipimus, quandocumque in mallum (*hoc eſt iudicium*)*

viduæ, pupilli, ac pauperes venerint, primo eorum causa audiatur, & si testes per se ad causas suas quærendas habere non poterunt, vel leges nescierint, Comes illos vel adiuuet, dando eis hominem, qui rationem eorum teneat: vel pro ipsis loquatur. Lib 4 cap. 46. *Comites pupillorum & Orphanorum causas primum audiant.* Lib. 5. tit. 4 cap. 5. & 6. *Si Comes eiusdem loci hoc implere neglexerit, proprio honore priuetur & si oportuerit, & necesse fuerit, in ipso auxilio vicinum suum Comitem aduocet, & si ille se subtraxerit, proprio honore priuetur.*

Possem plura proferre testimonia; sed pro angustiâ libelli hæc sufficiunt. Non nego, eâ tempestate extitisse Comites, qui in illo fortunæ gradu, splendorem generis iactare, atque ostentare possent: sed eminentiori præfecturæ admoti, instrumentum aliquod potentiæ acceperant. Quippe inter Comitatus, alius alio speciosior erat. At in Palatinis Rheni nullum apparet magnitudinis argumentum, nullum extat ve-

stigi-

ſtigium. Comites fuere; ſed ex numero inferioris notæ. Præerant enim pago Rhenenſi *a*, vnde originem nomenque traxerunt. Quantilla eſt iſta regio? Vulgo nunc Rhinechgovv nominatur, quaſi dicas pagum Rhenenſem. *Govv* enim Germanico idiomate pagum ſignificat *b*. Vis pagi Rhenenſis anguſtias intelligere? ſpecta quo loco hodie iaciat. Nulla eius reſtaret memoria, niſi nomen indicium proderet. Quod ſi hæc eorum origo, remitte obſecro tam magnos Spiritus, animum comprime, arrogantiam ſeda. Noli illos erigere ad Electoratus faſtigium, qui infra magnitudinem Principum adeo iacent demerſi.

a Hubert. Tomas de Palat. origin.

b Clueuer de antiq. German. lib. 1. cap. 13.

At repones, Palatini fuere? Sed nec tanti fuit Palatini dignitas. De cuius origine etiam aliquid dicendum eſt. Multos enim in hac caligine errare video, ac neſcio quas chimeras poſteritati obtrudere.

In declinatione Romani Imperij, Comitis Palatini appellatio generalis fuit, &

com-

communis ferè omnibus, in Aulâ Principis (quæ & Palatium vocabatur) munus aliquod, aut officium gerentibus. Nam rerum priuatarum, facrarum largitionum, facrique patrimonij Comites hoc etiam titulo adornabantur. Non fuit enim fingulare officium; fed honoris & dignitatis ornamentum: eorum potiffimum, qui domefticum minifterium per plures annos in Aulâ præftiterant. Vfque adeo, vt etiam ordinarij Principis medici hoc titulo gloriarentur.

Poft tempora Iuftiniani, peculiare munus & officium effe cœpit. Inde ad Francos traductum, Germaniæ quoq; regnum inuafit.

Falluntur tamen, qui confundunt cum eâ dignitate, quæ Græcis nuncupatur Magadomefticon; hoc eft, Magnus domefticus, Gallis *Maire du Palais*, fiue Maior domus. In quem errorem Marcum Iordanem *c*, & Sebaftianum Munfterum *d*, multos poft fe traxiffe video. Diftant hæc officia

c in Chronic de imperat. elect.
d Lib. 3 Cofmograph. tit. de Palat.

officia magno interuallo, & olim ſemper ſegregata fuere *e*. Palatini Comitis officium ferè in iuriſdictione conſiſtebat: Magadomeſtici in regni adminiſtratione. Vnde etiam Magadomeſticus crebrò vocatur Regiminis Princeps, primumque poſt Imperatorem, eiuſque liberos honoris gradum obtinuit *f*. Tirus de bello ſacro; *cum eſſet*, inquit, *in Imperiali Palatio plurimum honoratus, & Magadomeſtici dignitate, quem nos Maiorem Seneſcallum nominare conſueuimus, fungeretur, ab Imperatore Secundus.* Stephanus Abbas Lobienſis, in vitâ B. Modoaldi; *Eâ tempeſtate Dagobertus rerum potiebatur, ſub quo idem Dux,* (loquitur de Maiore Domus) *dignitate modicum à ſublimitate Regiâ differente, præditus, omnia regni negotia prudenter adminiſtrabat.* Quapropter hic honor, non alijs conferri conſueuerat, quàm ijs, qui claritate generis, & potentiæ magnitudine, ingenijque dexteritate cæteris præcellerent, vt Eginhartus eſt auctor in vitâ Caroli

e P. Pithœus en ſes memoires des comtes de champaigne.

f Codinus lib. 2. cap. 2. & ibid. R. P. Gretſerus.

Magni. Iordanem & Munſterum decepiſſe opinor, medij æui ſcriptores, qui Maiorem Domus gubernatorem Præfectumque Aulæ, ſeu Palatij, nonnunquam appellant. Cum tamen, ſicut apud Græcos Domeſticus, ita Maior apud Francos, nihil aliud ſit, quàm Præfectus & Præſes *g*. Certè Gregorius Turonenſis Epiſcopus *h*, hæc officia differre oſtendit, cum ait, *ſub Childeberto Florentianum fuiſſe Maiorem Domus, Rumolfum Comitem Palatij, eoſq́ ſimul miſſos in Pictauos, ad exigendum cenſum à populo.* Cohærere hæc non poſſunt, niſi alterum officium ab altero ſeparemus. Sed & in Aulâ Orientali Protoſebaſtus cum Magadomeſtico conferri non poterat. Hic enim, vti dixi, primum locum à Cæſare occupauit. Protoſebaſtus verò in decimum tertium gradum à Codino reijcitur. *i* Sunt autem Protoſebaſti, qui latinè dicuntur Palatini Comites, inquit Rogerius in annalibus Anglicanis *l*. Antecedebat illum Protoſtrator, quem Nicetas Marſchal-

g R.P. Gretſerus in notis ad Codinum loc. cit.

h Lib. 9. c. 30.

i Lib. 2. c. 2.

l. Vid. R.P. Gretſer. ad Codin. d. lib. 2. cap. 2.

ſchalcum vocat, & Contoſtaulus; hoc eſt, Comes ſtabuli, Gallis *Coneſtable m.* Et poſt Logothetam; hoc eſt, Magnum Cancellarium Protoſebaſtus ſequebatur *n.*

m Gretſer. loc. cit.

n Codin. d. lib. 2. cap. 2. & R. P. Gretſer. lib. 1. c. 6.

Et vt ad rem noſtram propius accedamus, Palatini Comitis officium Abbas VValefridus *o*, antiquiſſimus ſcriptor paucis verbis nobis repræſentat. *Quemadmodum ſunt*, inquit, *in Palatijs prætores, vel Comites Palatij, qui ſæculares cauſas ventilant: ita & illi quos ſummos Capellanos Franci vocant, clericorum cauſas, Prælati.* Ecce, Comites Palatinos Archicapellanis iuriſdictione exæquat. Quippe Archicapellani apud Francos fungebantur officio Archicancellarij, & ad illos, tanquam ad ſummum clericorum tribunal iſtâ tempeſtate deferebatur prouocatio. In Oriente Magni Elemoſinarij munus ſupplebant. Vnde etiam dicti Sacellani, vt volunt Onuphrius *p*, Baronius *q*, & Gretſerus *r*, à ſacco, vel ſacello; hoc eſt, paruo ſacco: quia ſtipem erogare conſueuerant. Sed nihil ad

o de diuino offic. cap. vlt.

p in interpret obſcur. vocum Eccleſ.

q Tom. 8. ad annum 595. n. 17.

r In not. ad Codin. lib. 2. cap. 3.

ad nos quid Græci fecerint. Redeamus ad Palatinum Comitem. Eandem ille potestatem in laicos habuit, quem Archicapellanus in clericos. Sed quæ fuit ista potestas? Audiamus Hincmarum Remensem Episcopum Carolo Caluo coætaneum, qui in fragmento, quod extat apud Freherum s, Pipini Regis Aulam describens; *Comitis*, inquit, *Palatini inter cætera, in hoc maximè solicitudo erat, vt omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ, propter æquitatis iudicium Palatium ingrediebantur, iustè, ac rationabiliter determinaret, seu peruersè iudicata ad æquitatis tramitem reduceret, vt & coram Deo propter iustitiam, & coram hominibus propter legum obseruantiam, cunctis placeret. Si quid verò esset tale, quod leges mundanæ in suis defensionibus statim non haberent, aut secundum gentilium consuetudinem crudelius sancitum esset, quàm Christianitatis rectitudo, vel sancta auctoritas meritò non consentiret, hoc ad Regis moderationem perduceretur: vt ipse cum his, qui vtram-*

s Lib. 2. c. 2 de orig. Palatinor.

vtramque legem nossent, & Dei magis quàm humana statuta metuerent, ita decerneret, itaq́ statueret, vt vbi vtrumq́ seruari posset, vtrumque seruaretur: sin autem lex saculi meritò comprimeretur, iustitia Dei seruaretur.

Cæterum Carolus Magnus Palatino Comiti multum detraxit. Legimus enim in eius Capitulari *t*. *Neque vllus Comes Palatij nostri, potentiores causas sine nostrâ iussione audire præsumat: sed tantum ad pauperum, & minus potentum iustitias faciendas, sciat sibi esse vacandum.* Cum quo etiam consentit Eginhartus in eius vitâ, cum ait; *cum calciaretur, aut amiciretur, non tantum amicos admittebat: verum etiam, si Comes Palatinus litem aliquam esse diceret, quæ sine iussu eius definiri non posset, statim litigantes introducere iussit, & veluti pro tribunali sedens, lite cognitâ, sententiam dixit.*

t De legib Francic. lib. 3. cap. 77.

Sub Germanis Regibus Palatini auctoritas rursus inualuit. Scias tamen, Bone

vir, munus illud ad Palatinum Rheni non ſpectaſſe, non magis quàm ad Palatinum Scirenſem ſeu VVittelſpacenſem, ad Palatinum Saxoniæ, Tubingenſem, Alſtadenſem, Dachau, Andechs, Vellai, de Troies, de Blois, de Champaigne, de Caluvve, & plures alios, quorum nomina paſſim ſparſa per annales. Attende quid dicam. Non pertinebat, inquam, hoc officium ad tuos Palatinos. Nihil horum iure ſui Palatinatus vindicare poterant. Virtutis erat præmium, non prærogatiua ſucceſſionis, vel natiuitatis. Vis dicam ad quem ſpectauerit? Ad Palatinum Regium; hoc eſt, Aulæ, ſiue Regiæ præfectum, quem Primum ſolebant indigitare. Speculum verò Saxonicum iudicem Imperialem, Gunterus Ligurinus Cuſtodem Aulæ, alij Præfectum Prætorio nuncupant. Eandem ferè poteſtatem habuit, quam Præfectus Prætorio apud Romanos Conſtantini Magni ætate. Et hic eſt ille, qui cæteros Palatinos poteſtate, auctoritate, locoque antecedebat,

bat, qui abſente Cæſare curabat Imperium, cuius conſilio regnum diſponebatur, vt inquit Presbyter Conrardus de Fabaria *u*, qui iudex exiſtebat Imperatoris, ſicut Burgrauius Marchionis, qui iudicabat ſub banno Imperiali *x*. Quis vnquam fando audiuit, Comites Palatinos de VVitelſpach, de Tubingen, & eiuſmodi de Cæſare protuliſſe ſententiam? Quis vnquam legit, Comites Palatinos de Blois, de Troies, de Champaigne de Rege Galliæ pronuntiaſſe? Apage, apage, monſtra ſunt quæ fingis tibi. Quod dico tale eſt. Proprium id, & peculiare munus Palatinorum Regiorum fuit. Nam vt ad VValefridum Abbatem redeam, Ait ille, quemadmodum ſunt in Palatijs prætores. Non dicit, quemadmodum ſunt Palatini Comites; ſed nominatim exprimit, quemadmodum ſunt in Palatio. Prorſus vt oſtendat, de Palatino Comite ſe loqui, qui in Palatio agebat, qui præturam gerebat in Palatio, qui iuriſdictioni in Palatio præerat. De quo etiam

u Lib. de caſib. S. Galli in Alemannia lib. 14.

x Special Saxonic. tit. 52. & 54.

etiam Hincmarus locutus eſt z. Quippe Aulæ ordinem delineat, qualis ſub Pipino fuerat.

z Loc. cit.

Et vt totam rem accuratius aperiam, duo fuerunt Palatinorum Comitum genera, vnus Aulæ, cæteri prouinciales. Horum officium iure ſucceſſorio tranſmittebatur ad poſteros, & commune erat maſculis omnibus eiuſdem familiæ; quia iure clientelæ deferebatur, territorio affixum. At verò munus Palatini Aulici, perſonale erat, & arbitrarium, non infeudatum, non coniunctum certo territorio. Verumenimuero hæc Palatinorum diuerſitas & confuſio, veterum hiſtorias valde obſcurauit. Nam cum Chronographi eiuſdem ætatis, nudum paſſim titulum Palatini Comitis nominibus adijciant, neglectâ qualitate & familiâ; neſcias certè de quo ſenſerint. Quæ res hodierna quoque ingenia admodum cruciat. Pleroſque etiam in pudendum errorem præcipitat, dum præſtantiſſimum quemque, modo in

hanc,

hanc, modo in illam adoptant familiam. Quidquid sit, Palatinus Rheni Prouincialis fuit, non Aulicus, nec par illi, nec superior: sed longè infra submissus. Ostendam id clarissimis argumentis. Fidissimi scriptores, Palatini muneris administrationem in Aulâ Caroli Magni Anselmo deferunt: eoque in Ronciuallensi pugnâ occiso, VValdradum substituunt *a*.. Eâdem tamen tempestate, Laureshamiensis monasterij diplomata *b* Cancronem & filium eius Hermericum Comites Palatinos Rheni fuisse demonstrant. At verò sub Ludouico Pio, & Lothario, Reginarium, Adhalardum, Bertricum, Morhardum & alios, Palatinos Aulæ comperio. Tuncquoque Ansfridus in Palatinatu Rhenensi otiosus delituit. Sed quis ille Ansfridus? vis potentiam, vis auctoritatem illius intelligere? Hoc vnum specta. Cum partem beneficij sui, à Lothario Ludouici Pij filio, in allodium impetrare vellet, per interpositam Abbatis Laureshamiensis personam,

a Pithœus loco. citat.

b Extant apud Hubert. Tomam de Palatin. origin.

Q desíde-

c Extat diploma apud Hubert. Tom. de origin. Palatin.

desiderium suum Cæsari intimauit c. Quod si tam eximius fuerit, vt in Aulâ ius diceret, familiam Principis instrueret, latus stiparet, iustitiam administraret: breuiter, si Prætoris officio in Palatio fungeretur, quid in re tantillâ, alienâ vel facundiâ, vel gratiâ, vel auctoritate indiguit? Sed persequamur cæteros Aulæ Palatinos, quorum memoria necdum euanuit. Carolo Caluo regnante, vel paullò post, Falconem quendam Palatinum legimus, ad quem extat Hincmari Archiepiscopi Rhemensis epistola, rogantis, vt desisteret à cognitione causæ cuiusdam presbyteri, quod hoc iudicium non pertineret ad laicum iudicem; sed ad synodum Episcopalem. Otto Secundus Hermannum Palatinum Comitem Saxoniæ, huic muneri admouit, prudentiâ insignem, maioribus clarum. Henricum Rixosum Bauariæ Ducem magnâ ingenij dexteritate, cum Ottone Tertio in gratiam reduxit. Fratrem habuit Bernardum Saxoniæ Ducem, qui in Ottonianâ institu-

tione

tione Electoratum accepit, appellationemque Ducis solus vsurpauit: necdum recepto more, cum Ducatus non essent hereditarij, & diuisibiles, vt Ducum fratres admitterentur in communionem tituli: Sed hi in fraterno Ducatu præfecturam adepti, Comites tantum nuncupabantur. *d* Ezilonem verò successorem habuit. Interiecto tempore, sub Frederico Primo ad Hermannum Comitem Palatinum Rheni peruenit. Postea verò cum Fredericus Primus fratrem haberet Conrardum in Palatinatu Rheni Hermanno subrogatum: nihilominus tamen, Ottonem VVittelspacensem qui à virtute & prudentiâ Magni nomen inuenit, ad hunc dignitatis gradum euexit. Si Bullæ Aureæ credimus, Archidapiferi dein videntur ad se multum traxisse ex illâ potestate. Sed Maximilianus Primus ad Cameram Spirensem iudicia transtulit.

d. Rener. Reinerc. de prim. Misniæ marchionib.

Hic Palatinorum Aulicorum finis. Quælibet denique prouincia suos habuit Pala-

tinos, inquit Speculum Saxonicum, pares gradu, dignitate æquales. Fiscali substantiæ præerant, & de eâ soli, vt arbitror, cognoscere poterant, ad exemplum Comitis Sacrarum largitionum apud Romanos, qui & Palatinus Comes ab Arcadio & Honorio dicitur *e*. De cætero constat, vnumquemque Ducem, ius dixisse in suo territorio, Palatinosque Ducibus fuisse obnoxios. Hæc mi Antagonista si legisses, non æquasses Principibus Palatinos Rheni, aut certè parcius laudasses.

e l. vnic. C. de offic. Comit sacrarum largit.

Sed de his satis multa, & forte nimis multa. Redeo ad tuas cauillationes. *Nemo nisi historiarum ignarus affirmabit vnquam, ante Fredericum Barbarossam aliquem ad Imperium prouectum remotis Palatinis.* Audio quid dicas, atque animum aduerto. Sed tamen ausculta: si rem obuiam putes, & notam omnibus qui historiam non ignorant, peto vt mihi Palatinum aliquem Rheni proferas, qui in superiorum Imperatorum electione contulit

ſuffragium. Nihil hac poſtulatione iuſtius. Volunt iuriſconſulti, quod quiſq; in alium ſtatuit, eodem ipſe iure vtatur. Tu à me poſtulaſti, vt Imperatores recenſerem, quos Bauari elegerint: recenſui. Vt nominarem qui elegiſſent: nominaui. Poſſum itaque iam à te viciſſim petere, vt mihi Imperatorem aliquem depromas â Palatinis electum, & Palatinum qui elegerit. Quis enim ſtatuet, quod in te æquum ſit, in me iniquum videri? Age, age, æquo iure mecum contende, & aliquando tandem ius oſtende, quod vindicas. Non malignè tecum, non ſcrupuloſè agam. Neque enim iam exigo, vt Palatinos ordine enumeres, quos vis per tot annorum curricula ſuffragium tuliſſe continuâ ſerie Sed verùm pauci, vel vnus. Si vel vnum mihi dederis, victas porrigam manus, tibiq́ue applaudam. Nam toto illo ſæculo elegiſſe vllos, omnino negamus, nec tu hactenus probauiſti. Quò nomen illorum, quò memoria euanuit? Nunquam adeo pre-

mitur veritas, vt in totum illam fama deficiat. Profer igitur aliquem, si potes. Nisi enim protuleris, alterutrum fatendum est tibi, vel neminem esse qui dari possit, vel te prorsus historiam ignorare. Sed re verâ ingenium hìc tuum prodis. Calumniosè asseris, quod probare non potes. Veruntamen quid ais, bone vir? Nemo negaturus est nisi historiarum ignarus, Palatinos Rheni conuenisse ad Electionem? De Onuphrio Panuino Veronensi quid tibi videtur? fuit historiarum ignarus? Immo peritissimus. Fuit leuis? Immo grauissimus. Fuit negligens? Immo accuratissimus. Satis vtique antiquus ipse: Sed vlterioris antiquitatis curiosissimus. Et quid ille? Quid? Negat vllum vnquam Electoralibus comitijs interuenisse Palatinum. Audi quid dicat. *Cum tot Imperatorum Comitijs ante Frederici Secundi tempora habitis, multorum nomina referantur; nunquam tamen memini Comitis Palatini mentionem fieri. Quod si fuisset ex Electo-*

rum

rum numero, tot historici non immeritò negligentiæ accusari poßint: qui cum alias diligentißimi sint, & ferè nimij, in recensendo vbi Imperator singulis noctibus pernoctauerit, vbi Pascha, Pentecosten, natalem Domini celebrauerit, rem tantam silentio prætermitterent. Ecce, inquit, scitur, vbi continuas noctes Imperator egerit. Scitur vbi Pascha, & Natalem Domini quotannis celebrauerit. Scitur denique qui fuerint cæteri Electores, de nomine non ambigitur: de Palatinis Rheni altum vbiq; est silentium. Quid igitur peccarunt in ingenia, vt soli absconderentur? Nihil vnquam gessere laude dignum? An omnes in ignauiâ consenuere, intra natalium suorum modum abstrusi? Fieri non potest, in tam sublimi fastigio collocatos, non aliquando ad famam surrexisse. Quare non immeritò colligit Onuphrius, *his tot grauißimis auctorum testimonijs, ad credendum se adduci, alium eo tempoee fuisse Electorem.* Et re verâ alius fuit. Quis nisi Bauarus?

Te non negare, dicis, *Ottone Tertio regnante, nonnullos Bauariæ Duces Dapiferos fuisse Imperatoris nominatos, eoq; munere functos. Nam ex Ditmaro, & Georgio Fabricio constare, Ottoni Tertio diem festum Paschalem Quotlinburgi celebranti, administrasse ad mensam quatuor Duces, Henricum Bauarum Dapiferum, Conrardum Francum Camerarium, Hezilonem Pincernam, Bernardum Saxonem stabularium equis præfuisse.* Bene est, quod Bauarum ex illo Dapiferum agnoscas. Sed pergis ratiocinari: *Non autem sequitur, Bauariæ Dux tempore Ottonis Tertij Dapifer fuit: ergo etiamnum moderni Duces Bauariæ retinent eam dignitatem.* Cur ita? *Nam & Dux Sueuiæ Camerarius fuit, nec tamen id officij ad successores transtulit. Et Hezilo Palatinus tum Pincernam egit, cuius deinde munus Regibus Bohemiæ adscriptum est.* Et pergis: *Cum enim prædicta officia adhuc variarent, & essent temporanea, Otto Tertius illa distribuit, & perpetua fecit, & vt penes eosdem & solos illos*

illos esset ius, & potestas eligendi Romanum Imperatorem.

Hæc tua sunt argumenta. Dicis subrogatum esse Bauaro Palatinum Rheni; quia Conrardus Sueuus successorem accepit. Sed quàm hæc ineptè texuntur. Nonne eadem ratione colliges, Bernardo quoque Saxoni successorem datum? Et tamen ille in officio perseuerauit. Quare Bauaro ademptum contendis, quod Saxoni relictum concedis? Quid? Bauarus tibi videtur Saxone inferior? Offendi Bauarus impunè poterat, Saxo non poterat? An quod Saxo retinere potuit, Bauarus non potuit? Conrardus Sueuus successorem accepit. Non nego. Vide porro quomodo acceperit. Putas ademptum illi Camerariatum in Ottonianâ Electorum institutione? Vehementer erras. Nihil ei ademptum fuit. Quare igitur Otto in Electorum institutione rationem eius non habuit? Vis dicam? Ante ipsam institutionem cum fratre Heriberto diem clauserat sine liberis *f*.

f Ditmarus lib. 4.

Non eſt igitur quod mireris, in Brandeburgicum poſtea collatum, quod ſine cuiuſpiam iniuriâ concedi poterat.

Atenim *Hezilo tum Pincernam egit, cuius munus poſtea Bohemiæ Regibus tranſcriptum fuit.* Ita prorſus. Sed quæro: vtrum munus illud in Bohemum tranſtulerit Otto Tertius? Nequaquam ſanè. Quippe ſex tantum Electores Otto inſtituit *g*. Quis igitur? An Henricus Sanctus? Ne is quoque. Nam ſub Henrico Sancto Heunzonem quendam Pincernam diplomata conſtituunt *h*. Quo nomine Bohemorum Ducum nemo fuit illâ ætate. Quis tandem? Si verum amamus, Conrardus Salicus *i*. Nemo veterum tranſlationem illam ſupra reuocauit. Neotericorum multi, etiam longè infra reijciunt. Conrardo tamen Salico, vti dixi, probabilius adſcribitur. Sed vtut iſta ſe habent, Otto Tertius Pincernatum Heziloni non ademit. Non ſunt igitur mutata omnia in Electorum inſtitutione. Priſtinum quiſque offi-

cium

g Gevvold de Septemuir. cap 9 Georg. Fabric de Elector Saxoniæ in princip

h Extat apud Gevvold. in Septemuir. cap 6. inter diplomata Henrici Sancti.

i Vide Gevvold de Septemuir. c. 9.

cium retinuit. Saxo ſuum, Bauarus ſuum, Brandenburgicus & Hezilo ſuum.

Sed tamen ille Hezilo, quem Georgius Fabricius Palatinum Rheni vocat, ad illam gentem non pertinet. Quid ita? Quia Ditmarus ait, quatuor Duces Ottoni miniſtraſſe. Hezilo igitur Dux fuit. Alias tres tantum Duces miniſtraſſent Ottoni, non quatuor. Qui cæteri fuerint, non ambigitur. Controuerſum eſt de Hezilone. Ducem tamen fuiſſe oportuit. Quod ſi ita eſt, Palatinus Rheni non fuit. Nemo adhuc tam impudens repertus eſt, qui Ducis titulum Palatinis Rheni ex illo adſcripſerit. Sed Georgius Fabricius Palatinum appellat? Non curo quid ille dixerit. Sine teſte, ſine auctore loquitur. Ait ex Ditmaro conſtare. Nuſquam tamen Ditmarus ſcripſit. Quid enim Ditmarus? Hoc ſcripſit, *Hezil miniſtraſſe ad cellarium*, nec de Palatino quidquam adiecit. Vnde igitur Palatinum fuiſſe collegit Fabricius? Vnde? Vis ego id ipſum conijciam? Erro-

re nominis, ni fallor, deceptus est. Hezilonem qui Machtildem Ottonis Tertij sororem duxit, Palatinum fuisse legerat. Et fuit hic Comes Palatinus, sed Saxoniæ, Hermanni Comitis Palatini Saxoniæ filius. Attamen Pincerna non fuit. Argumento est, quod in eodem diplomate *l*, quo se Palatinum indigitat, Heunzo vt Pincerna subscripsit.

l Extat apud Gevvold. d. cap. 6.

Subijcis deinde: *Comitem Palatinum Rheni, muneri Dapiferiæ ab Ottone Tertio præfectum fuisse.* Vnde id probas? Quippe hac de re nobis tota lis, tota contentio est. Indica quis primus ille Dapifer è domo Palatinâ, quis deinde successionem exceperit. Hoc ostendere debes, hoc explanare, quis primus, quis secundus, quis deinceps. Nam nihil horum à te factum.

Immo, inquies, explanaui ex Francisco Irenico German. Exeg. lib 3. cap. 54. qui disertis verbis ait, *Henricum Palatinum tempore Ottonis Tertij primum Electorem fuisse constitutum.* Dixit hoc Irenicus; sed

dixit

dixit tantum. Nihil protulit, nihil ostendit, nihil confirmat. Ergo quod hic sine tabulis, sine auctore, nescio vnde effutiuit, id nos quasi legitimum pertimescemus testimonium? Dixit hoc Irenicus: sed vel egregiè hallucinatus est, vel splendidè mentitus. Verba eius ad coarguendum opponam. Sic enim sunt farta, vt inepta eius vanitas non solum oculis deprehendi; sed quasi manibus palpari, tangique possit. *Tempore*, inquit, *Gregorij Quinti & Ottonis Tertij, primus in Imperij Electorem Henricus abiuit. Qui ductâ in vxorem Adelheide, mortui cuiusdam Brabanti Comitis vxore tunc viduâ, ac prolis carens, Sigefridum præfatæ Adelheidis ex priore marito filium Palatinatui præfecit. Hic Sigefridus munere insignitus Electorio, copulatâ filiâ suâ Cunigundâ Henrico Secundo in matrimonium (qui Ottoni Tertio successit) Palatinatum filijs suis Ezeloni ac Conrardo reliquit. Ezeloni successit Lutolphus filius eius, inde Conrardus.*

Hæc quàm abſurda, quàm falſa, quàm monſtroſa ſunt omnia? Apertè pugnant in antiquitatem. Quid? Henricus ille qui Adelheidem vxorem habuit, ad Electoratum vſque perductus eſt à Gregorio Quinto & Ottone Tertio? Quì poteſt? Scis porrò quando vixerit? Ab Ottone Tertio magno temporis ſpatio diſiungitur. Sub Henrico Tertio vixiſſe conſtat. Quid miraris? quid ſtupes? Certum eſt hoc, & pluſquam certum. Quippe anno milleſimo nonageſimo tertio Monaſterium de Lacu cum vxore ſuâ Adelheide fundauit. Extat diploma fundationis apud Freherum *m*, & Miræum *n*. Liquidior probatio haberi non poteſt. Et ne putes, ſubeſſe errorem in calculo annorum, diſertis verbis Henrico Tertio imperante datum traditur.

m Lib. 2. origin. Palat. cap. 9.

n Lib. 2. diplomat. Belgic. cap. 35.

Mortuus eſt quidem Henricus ille Palatinus ſine liberis, & priuignum ſuum Sigefridum Adelheidis filium ſucceſſorem habuit in Palatinatu. Sed hic Sigefridus Sanctæ Cunigundis pater non fuit. Vnum

vtrique nomen eſt: perſonæ tamen longè aliæ. Integro & amplius ſæculo diſtant. Alter ſub Ottone Tertio viuere deſijt: alter Henrici Tertij ætatem ſuperauit. Iam verò vxor vtrique quàm diuerſa? in gente quanta varietas? Sigefridus Adelheidis filius origine ſtirpeque Brabantus, Getrudem coniugem habuit *o*. Pater Sanctæ Cunigundis origine Ardennenſis, ad Luxenburgicam familiam pertinet *p*, quàm pater eius Sigefridus condidit. Quippe à VVikero Sancti Maximini Treuirenſis Abbate, caſtrum Luxenburgh permutationis titulo acceperat. Et hinc primus Luxenburgenſis Comes *q*. Filios verò eius Theodoricum & Adelberonem Epiſcopos, Magnum chronicum Belgij *r*, haut alio nomine quàm Luxenburgicos appellat: Palatinos verò nemo. Sicut nec Sigefridus ipſe Palatinum ſe in diplomatibus indigitat. Vxorem autem habuit Hardevvicam nomine, & eâ inter alios liberos genuit Cunigundim & Ezelonem Comitem Arden-

o Freher. d. cap. 9.

p R. P. Bruner. in annalib. Boior. part. 2. lib. 8. in fin.

q Extat diploma apud Miræum in diplomat. Belgic. c. 19.

r Pagin. 95. n. 30.

dennensem, quem Auentinus rectè Henricum nominat. Quia Ezilo patriâ linguâ Henricum significat s. Et hic est ille, quem Henricus Sanctus ad Ducatum Bauariæ postea traduxit, cognomento Mosellanum. Sed cum Irenicus Palatinum Rheni facit, fœdè mentitur, aut turpiter errat. Quis hoc vnquam, vel per fabulam audiuit? quis hunc ei titulum adscripsit? Quis Ducatum Bauariæ cum Palatinatu Rheni ex illo copulatum, aut coniunctum affirmauit? Tot extant volumina illius æui, tot diplomata, omnem tamen memoriam refugiunt. Addit præterea Irenicus filium Lutolphum Ezeloni successisse in Palatinatu. Vide quàm falsò hunc illi filium adfinxerit. Consensus ferè scriptorum, Henricum Mosellanum liberis priuauit, & qui filium habuisse contendunt, Henricum nuncupant. Lutolphi autem recordatur nemo. Sed puta Lutolphum fuisse? Libet indulgere plus iusto. Quæro cur non successerit patri in Ducatu Bauariæ, qui iam

s Otto Frising. lib. 6. c. 27. R. P. Bruner. rer. Boicar. part. 2. lib. 8. in not. margin.

iam factus erat hereditarius? vel hoc vnico argumento fides Irenico detrahenda est, non solùm hoc loco, sed & alibi sæpe. Cæteros tamen eius errores missos facio. Infiniti sit laboris excutere singulos. Quale est illud, quod Henricum Henrici Leonis exducis Bauariæ filium, ex verâ Palatinorum lineâ vltimum constituat. Quod Conrardum Palatinum, Frederici Primi Imperatoris fratrem, supradicti Ezelonis filium somniet. Quid hoc impudentius dici, aut fingi potest? Vis dicam? Magnâ incuriâ opus illud suum Irenicus compilauit, & quæ sciuit, & quæ nesciuit, effudit omnia. Eoque nomine apud optimos quosque meritò vapulat. Non laborauit quemadmodum probaret quæ dixit; sed quomodo alijs dicendo imponeret. Multa scribere maluit, quàm quid veri esset explorare: vt cæteri melius scire, ille plura videretur.

Non inuenisti igitur, quod inuestigas: vt iterum efflagitare liceat, nomines mihi

S Palati-

Palatinum Comitem, qui ab Ottone Tertio Electoratum acceperit. Indica, indica, quid cunctaris? Respexisti cum Irenico, ad Henricum Palatinum, illum inquam, qui Adelheidem vxorem duxit. Atqui ego iam ostendi, rationem temporis non admittere. Quærendus est igitur alius. At quis? Quod si idoneè docere possis extitisse aliquando eiusmodi Palatinum, actutum in lucem effer Id enim vehementer exposcimus. Quid hac in parte causam tuam indefensam relinquis?

At, inquies, quid refert quo nomine fuerit primus Elector, quandoquidem constet fuisse Palatinum. Tu nihil referre putas quo nomine fuerit? Immo sanè plurimum refert. Magnum virum, & excellentis virtutis fuisse oportuit: & quis fuerit ignoramus? Credibiléne est, in tam feraci scriptorum sæculo, splendidum illud nomen potuisse euanescere? Sed vnde constat fuisse Palatinum? Ex eo, inquis, quod M. Iordanis scribat, *statim ab initio,*

cum

cum tribus Archiepiſcopis maiorem domus ſuæ Palatinum, deſtinatum fuiſſe ad Electoratum. Bona verba quæſo. Vide quid loquaris. Vbi hoc Iordanis ſcripſit? Falſum, falſum. Nihil ſimile apud eum legimus. Quin immo econtra, Electorum inſtitutionem Carolo Magno Iordanis imputat. Quid hoc rei eſt? etiam falſo veteris teſtimonio, vt faſcinum inexpertis obijcias? Quis non exſibilabit tua ſcripta, tam apertis mendacijs adumbrata? Vellem hìc aut prudentior fuiſſes, aut verecundior. Piget me impudenti impoſturæ, tanquam certæ hiſtoriæ reſpondere.

Fac tamen primum Electorem ſcriptorum iniuriâ poſteritatem effugere: quis ab illo ſecundus? Quis deinceps? Nam ne horum quempiam in annalibus reperio. Quomodo igitur veſtram fuiſſe poſſeſſionem potes oſtendere? Ego econtrario docui, quâ ratione Bauari cœperint, qui, & quando gradatim elegerint, vt non ha-

beas, quod hiſcere poſſis. Fuit igitur noſtra poſſeſſio, non veſtra.

Veruntamen vt tuam fuiſſe poſſeſſionem doceas, Imperatorum omnium electiones magnâ verborum ampullâ percurris. Sed quorſum, obſecro, hæc omnia? veſtram poſſeſſionem non oſtendunt, nec noſtram infirmant. Ais, *Henricum Sanctum primum fuiſſe qui ſit electus à Septemuiris.* Quid poſtea? Ergò Palatinus eum elegit? Ais, *iudicio Henrici Sancti Imperium delatum eſſe ad Conrardum cognomento Salicum.* Quid poſtea? Ergo Palatinus eum elegit?

Immo, inquis, Palatinus elegit. *Quippe ex Wippone conſtat, Gotzelonem Ripuariorum Ducem, electioni eius praſto fuiſſe.* Sed tu ante omnia doce, Gotzelonem fuiſſe Palatinum Comitem, tunc de electione videbimus. Fuit'ne Gotzelo Palatinus Comes? Non eſt ita, non eſt profectò. Inferioris Lotharingiæ Dux fuit. Regnum enim Lotharingiæ, ab Ottone Primo bifariam

fariam diſtractum, in duos Ducatus, Superiorem & Inferiorem receſſerat. Superior proprio nomine Moſellanicus, Inferior Ripuarius eſt dictus *t*. Communi tamen nomine Lotharingiæ Duces promiſcuè vocabantur. Verba ſunt Magni chronici Belgici, à Piſtorio editi: *Et ſciendum, quod in regno Lotharingiæ, inter alios Principatus, ſunt duo Ducatus Lotharingia appellati, quorum vnus per Duces Moſellaniæ ſiue Lotharingiæ poßidetur, ſuperior: alter verò per Duces Brabantiæ tenetur, inferior Lotharingia apellatur.* Cæterùm in exitu Henrici Sancti, ſuperiori Lotharingiæ Fredericus præerat. In inferiori verò, Godefrido fratri Gotzelo ſucceſſerat. Et hic eſt ille, quem tu Palatinum Rheni Comitem impudenter conſtituis. Sed quì fieri id poteſt? Vis'ne familiâ Palatinum fuiſſe? vis domicilio? vis poſſeſſione? Nunquam iſtud veriſimile facies, niſi aliquid horum fuiſſe teſteris. Conuenit non fuiſſe Palatinum familiâ: gentem enim Ardennatem

t Miræus in notit. eccleſiar. Belgicar. cap. 1. ib.

agnoſcit. Habuit enim patrem Godefridum cognomento Captiuum, Godefridi Ardennenſis Comitis filium *u*, *qui & vulgò Einhamenſis dicitur*, inquit Sigebertus, vel eius appendix *x*. Einham autem in Imperiali Flandriæ regione ad Scaldim ſita, ab vrbe Aldernadenſi haut procul recedit *a*. Oppidum olim, & arx à fronte quà flumen ſpectat. Anguſtum & vile tectum, ſi mores noſtros contempleris. Ex genio tamen priſcæ frugalitatis, non indignum Principe domicilium. Oppidi ruinas hodie vicus occupat: reliquias arcis, Benedictini Ordinis eiuſdem nominis monaſterium abſcondit. Hæc Lotharingorum Principum ſedes, hæc aula fuit. Sub hoc tecto Godefridus conſenuit, hoc pauimentum Gotzelo calcauit. *Locus eſt*, inquit Chronographus Cameracenſis *b*, *ſuper Scaldim fluuium, quem dicunt Eiham, vbi Comes Godefridus & eius vxor habitauit*. Non fuit igitur Gotzelo Palatinus domicilio. Non fuit denique poſſeſſione.

Quo-

u Sigebert. in Chroni. ad ann. 1008. Magnum Chronic. Bel. ibidem Miræus in in diplomatibus Belgar. c. 23.

x Loco. citat.

a Vide Lindanum in Teneramunda.

b Lib. 2. c. 45.

Quoniam ex quinque filijs, quos Godefridus Captiuus genuit ex Machtilde Hermanni Saxoniæ Ducis filiâ, alios Episcopos, alios Lotharingiæ Duces, alios Virdunenses & Dagisburgenses Comites diplomata constituunt: Palatinum verò neminem nominant. Noli mihi igitur nomen illud opponere, vt possessionem, Electoratus tuam ostendas Conrardi Secundi ætate, aliàs respondebo te delirare, nisi auctorem tuum laudaueris. Nam Freherus, quem allegas, nihil simile cogitauit.

Nunc verò, vt possessionem quoque nostram hac in parte destruas; dicis, *Conrardum Salicum electum à Septemuiris: Sed inter eos non fuisse Bauarum. Quia ex historijs constat, Cunonem Bauariæ Ducem huic se electioni opposuisse.* O crassam ignorantiam! ignorantiam dico? rectiùs sanè impudentiam singularem. Scis bone vir, quid scribas? Non putasti, opinor, quemquam tibi responsurum; aliàs tam apertè vel non mentireris, vel ingenij tui stoliditatem

tatem non proderes. Quid hoc eſt monſtri? quid prodigij? Tunc Cuno Dux Bauariæ? Vnde illud tibi in mentem venit? Legiſſe enim non potes. Nemo quippe ſcriptorum vſque adeo delirauit, vt tam ſplendidum mendacium credulæ poſteritati auderet obtrudere. Quis igitur tibi narrauit, quod antehac eſt inauditum? Quid taces? Quid ceſſas? Dic liberè. Confinxiſtine? an diuinaſti? an ſomniaſti? Primum eſt mendacis, ſecundum ſtolidi, amentis tertium. Si fucos obtrudere placeat, finge aliquid ſaltem commodè, vt ne planè videaris, quod apertè facis, veritati illudere. Quid ais? Fuítne Cuno Dux Bauariæ? Vbi ergo tunc Henricus Moſellanus Dux Bauariæ? quò ſe verſabat? Vbi agebat? Num viuere deſierat? Non deſierat. Nam Conrardo demum Salico regnante mortem obijſſe conſtat. Num exulabat? Non exulabat. Quamuis ab Henrico Sancto expulſus, cum eodem tamen in gratiam reuerſus, reſtitutionem impetrauit.

trauit. Num Bauariam administrabat? Administrabat certè, & cum mortalitate demum Præfecturam deposuit. Negare hæc non potes, nisi vt omni antiquitati, omnibus monumentis, omnibus historicis, & chronographis vim inferas. Consule Auentini, & Bruneri volumina: vel si vetustiores & coætaneos desideres, Ditmarum, & VVipponem consule, in eam omnes sententiam conspirant. Da mihi aliquem vel omnibus sæculis tuarum partium, etsi minimè debeam, victum tamen me fatebor. Vides quàm confidenter loquar? Et meritò. Persuadere enim mihi non possum, liberalis ingenij hominem in hæc prodigia potuisse descendere. Cuno, inquam, Dux Bauariæ? Quis eum imposuit? cui successit? Possumus hoc quoque ex te audire. Henricus Sanctus Mosellanum sibi in Ducatu substituit: & Mosellanus Imperante Salico in Ducatu perseuerauit. Vnde igitur erepsit, ex quibus latebris emersit Cuno ille tuus ad Conradi Salici electionem?

Equidem inficias non eo, post mortem Henrici Sancti Cunonem aspirasse ad Imperium cum Conrardo Salico: Sed Cunonem Carintinorum Ducem, Conrardi filium, & parruelem Conrardi Salici, vt ex VVippone, Brunero, alijsque disces. Quomodo eum sine teste, sine auctore, contra omnem reuerentiam antiquitatis efficere possis Ducem Bauariæ, ipse videris. Festinandum est mihi ad illud quod cœpimus. Multos errores in libello tuo adhuc superesse video. Sed decumanos tantum perstringam, ad contundendam insolentiam tuam, vindicandamque veritatem, vt hoc modo Electoratus quoque noster à calumniâ vindicetur.

Ais; *Conrardo Salico successisse Henricum filium, cognomento Nigrum, consensu Procerum à patre ad Imperium adoptatum.* Iterum quæro quid postea? Palatinus ergo Comes eum elegit? *Temerarius sit*, inquis, *qui hoc neget.* Immo tu maximè temerarius, qui tam confidenter dicis, nec probas.

bas. Ego nego, & plures mecum: tu planum fac, vt videamur temerè negasse. Quod si docere non possis, temeritatem tuam, non nostram accusa.

Addis deinde corollarium aliquod ex Henninge: *Henricum Bauariæ Ducem, Palatinum Electorem constitutum esse ab Henrico Tertio.* An turpiter ignoras, vel nequiter dissimulas, quis tunc Palatinatum habuerit? Num Bauarus? Minimè gentium Quis igitur? diploma lege quod extat apud Freherum, originum Palatinorum lib. 2. cap 9. auctoritatem Henningis assis non facies. Inuenies ibi Palatinum quem quæris. At quem? Henricum nempe illum, qui Adelheidem vxorem duxerat, de quo supra. Vide quibus titulis in diplomate vtatur. Non scribit se Bauariæ Ducem: Sed Palatinum Rheni; & de lacu Dominum. Quid? Putasne, si fuisset Dux Bauariæ prætermissurum fuisse tam splendidum ornamentum, tam illustrem nominis amictum, vt se de lacu Dominum

indigitaret? Egregius ſcilicet titulus, *de lacu Dominus*, qui ad Electoratum poſſet aſſurgere.

Poſt hunc, inquis, *Henricus Quartus puer ſeptennis Imperium adijt, à patre & Imperij Principibus deſignatus ſucceſſor. Conſentiente præter alios Principes & Ordines, Ottone Duce Saxoniæ, qui tunc Bauariam obtinebat.* Henricum Quartum ſucceſſorem deſignatum à patre concedo equidem. Conſenſum Principum acceſſiſſe concedo quoque. Sed inter illos fuiſſe Ottonem Bauariæ Ducem, tam illud eſt impoſſibile, quàm hoc incredibile, eundem Saxoniæ Ducem fuiſſe. Vtrumque falsò à te iactatum eſt. Quod quanquam diſſimulare potui, cum nec cauſæ tuæ prodeſſe, nec obeſſe noſtræ videam: volo tamen, vt in omnibus, ita & in hoc, præpoſteram tuam ineptiam proſcribere. Vt omnes videant, omnes ſentiant, omnes intelligant, quàm illotis, vt aiunt, manibus, quàm inuerecundâ fronte, quàm perfun-

ctorio ſtudio, quàm ſecurâ vel negligentiâ, vel malitiâ, ad hanc cauſam, tanquam ad puerile ludricum acceſſeris. Ea res igitur ſic ſe habet. Conrardo Bauariæ Duce exauctorato, Henricus Tertius filio ſuo Henrico Quarto Bauariam tradidit. Poſt mortem verò Henrici Tertij, Bauaria permiſſa eſt Agneti eius viduæ, quia ſe prægnantem ferebat *c*. Poſtquam & ipſa ſe adminiſtratione abdicauit, tum demum Bauariam obtinuit Otto Gottingenſis, dictus Saxo, *quia genere Saxo, vir ampliſſimæ nobilitatis* vt inquit Vrſpergenſis *d*. Diſpice nunc, quemadmodum Henrico Quarto ſuffragatorem facies, qui tanto poſt interuallo admotus eſt habenis Bauariæ. Demus tamen conſenſiſſe, vt dicis; nonne poſseſſionem noſtram confirmas? Nam ſi Bauarus in Electione Henrici Quarti, cum cæteris conuenerit, Electorem ſanè fuiſse neceſse eſt. Nequaquam, inquis: quia non conſenſit quà Bauarus: ſed quà Dux Saxoniæ. Quid ſi nunquam

c Vrſpergenſ. in Henrico Quarto R. P. Bruner. in annalib. rer. Boic. tom. 2. lib. x.

d In vita Henric. Quart.

 Du-

Ducem Saxoniæ fuiſſe conſtet? Et herculè conſtat. Eâ enim tempeſtate, Magnus Odolphi Ducis filius iure ſucceſſionis Saxoniæ præfuit, & ab Henrico Quarto cum Frederico Saxoniæ Palatino proturbatus eſt in exilium. Sed & Otto noſter Dux Bauariæ *e*, culpam illius deprecatus, cum Cæſare laborauit in gratiam reducere.

e Georg Fabric. de Elector. Saxoni. in vita Magni

Ad Henricum Quintum deſcendis, & Abbatem Vrſpergenſem, ais, tradere, *ab Vniuerſis Imperij Primatibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus fuiſſe Electum, ſolumq; abfuiſſe Saxoniæ Ducem: nec tamen illius habitam fuiſſe rationem.* Ad quid hæc? Num habent aliquid, quod ad rem tuam pertineat? Quærimus de Palatinorum poſſeſſione. Vſpiam hìc elegiſſe traduntur? Ecquid habes aliud? Immo verò, inquis, habeo. *Nam ab vniuerſis demum electum admitto, vt inter Septemuiros Comiti Palatino Rheni prærogatiua electionis integra ſit relicta.* Cautè admodum, & circumſpectè. Quis tamen ille Palatinus? Cedo eum, no-

mina tandem quis fuerit. Postulo à te, & flagito. Non potes? Ede saltem nomen auctoris à quo desumpseris hanc exceptionem. Ede inquam, nihil amplius à te requiram. Quid taces? Hoccine est possessionem tuam demonstrare? Dicis prærogatiuam electionis Palatino relictam. Quare non probas, quod dicis? Visne igitur tibi credamus, quem liquidò ostendi, non in vno aut altero; sed in pluribus; quid pluribus? immo ferè in omnibus tam fœdè errasse, vt in mendacijs quasi delitescere videaris? Liberè dico, qui semel à veritate deflexit, nullâ religione deinceps à falso cohiberi.

Pergamus tamen: *Henricum Quintum deinde in ordine secutus est Lotharius Saxo. Quo tempore valde multi Principes ex toto Regno congregati in Moguntinensi vrbe, vbi de Electione Regis magnus erat tractatus. Initio in magnâ curiâ collecti erant omnes qui ibi erant sæculares & spirituales Principes, quorum plerique nudè ac simpliciter nominabant, quem optabant per alios eligi, & tamen*

tamen ipsi non eligebant: quia non habebant voces suffragiorum realium: vt scribit Welbertus Conrardi Secundi Capellanus de electione Lotharij. Quo sensu admitti posse videtur, quod continuator chronici Sigeberti asserit, Lotharium electum, hoc est, laudatum, & approbatum fuisse ab Archiepiscopis duobus, Episcopis octo, & pracipuis Aula Regalis primoribus. Maximè verò adiutum à genero suo Henrico Superbo Bauaro, contra Conrardum Sueuia Ducem. Hæc tua sunt verba; sed verba. Breuiter, putas Henricum Superbum non elegiſſe Lotharium Cæſarem: ſed tantummodo approbaſſe electionem ab alijs factam: quomodo hi facere ſolebant, qui non habebant ius ſuffragandi. Tu igitur quem tandem elegiſse exiſtimas? Dices Palatinum Rheni? At ille nuſquam proditur veniſse ad comitia? nomen eius non extat? quis fuerit neſcitur? Sed mitto de nomine quærere. Hoc nunc dico: alterutrum elegiſse oportuit, vel Palatinum, vel Bauarum. Lotharium enim

ab

ab Electoribus euectum conuenit. Bauarus ad comitia venisse traditur, studijsque suis Lothario adfuisse: de Palatino non traditur. Vter potius elegisse videtur? Sanè si quæreretur è duobus, vter hominem occidisset, & alter interfuisse probetur, de præsentiâ alterius non appareat: nunquid verisimilius est, ad præsentem pertinere facinus? Quare quod in cæteris rebus valet, hìc valere non debeat? Quæstio est inter nos, de possessione Electionis. Hic, vel ille Lotharium elegit. Sciunt omnes, Henricum Superbum interfuisse comitijs: de Palatino omnes ignorant: cuius potior est conditio? Si te in aliâ causâ iudicem facerem, procul dubio responderes pro præsente. Quid hìc igitur cauillaris? Ego verò sic sentio, cum Lotharius Henrici studijs affirmatur adiutus, eandem esse vim affirmationis huius, ac si disertis verbis traderetur contulisse suffragium.

Ais postea: *Huic deinde suffectus est Conrardus Tertius Sueuiæ Dux, à Principi-*

bus electus, non vocato Saxoniæ Duce. Cui se opposuit Henricus Superbus Dux Bauariæ Rectè. Bauariæ Dux meritò se opposuit: Elector erat. Eo non vocato comitia legitimè transigi non poterant.

Quid præterea? *Anno Christi* 1152. *Imperium accepit Fredericus Primus cognomento Barbarossa, Conrardi Imperatoris ex fratre nepos: cuius etiam suffragio adiutus, ab omnibus Germaniæ Optimatibus Imperator electus est.* An inter Optimates Palatinus Rheni? Ligurinus Poëta coætaneus, de illo non meminit, cum inter Proceres haut obscurè Bauarum reponat.

Sed quid deinde? *Huic successit Henricus Sextus, iam ante Rex Romanorum designatus à patre. Quo tempore vixit Conrardus Palatinus Rheni, Dux Franconiæ, & Elector, & huius filius Heidelbergæ degens, vt notat Henninges: Bauariam tunc obtinente Henrico Leone, à Cæsare, postea proscripto, & in locum eius subrogato. Ottone Magno Comite de Wittelspach. Qui præ-*

fecti

fecti quidem prætorij Bauariæ titulo insignitus: Elector verò & Archidapifer non fuit. Sed id honoris vsurpauit Conrardus, vt testatur Crusius in annalibus Sueuicis, lib. 8 part. 2 cap. 4 Vbi ait, Conrardum Palatinum anno 1170. *tempore Frederici semet Electorem nominasse, & hoc titulo vsum, Romani Imperij Archidapifer, & Princeps Elector.* Bone Deus! quæ sunt hæc monstra? totidem penè errores, quot periodos, quot cola, quot commata video. Operæpretium est latius expendere, & singula prope verba reuocare ad examen. *Huic successit Henricus Sextus.* Rectè. *Quo tempore vixit Conrardus Palatinus Rheni.* Sit ita. Vixit Henrici Sexti tempore Conrardus eius patruus, in locum Hermanni Palatini Comitis Rheni subrogatus à fratre Frederico Primo. Cætera tamen quæ sequuntur mera sunt somnia, mera figmenta, mera deliria. Quale in primis est illud; *Dux Franconiæ.* An Conrardus ille Dux Franconiæ? Quid dicent Episcopi Herbi-

polenses, qui hunc honorem, hunc titulum, ex quo Carolus Magnus Ducatum ad Ecclesiam transtulit, peculiariter sibi arrogauerunt? Legimus quidem in Vrspergensi, Henricum Quintum Ducatum Orientalis Franconiæ, qui Herbipolensi Episcopo antiquâ Regum successione competebat, commisisse Conrardo Sororis filio. Sed commisisse tantum. Restitutus enim Ecclesiæ fuit. De Conrardo tamen Frederici Primi fratre nihil extat simile. Multa supersunt diplomata eiusdem Conrardi, vide an vsquam se indigitet Franconiæ Ducem. Confer, si libet, diplomata Frederici Primi *e*, quæ subscriptione suâ Conrardus firmauit. Antequam Palatinatum Rheni adeptus erat, fratrem se Regis simpliciter nuncupat: postea verò Palatinum Comitem de Rheno, & nihil præterea. Sed prætermittamus ista, quæ ad rem nostram non pertinent. *Et Elector.* Quid? Elector? Vnde id probas? Quia, inquis, Crusius memoriæ consignauit, *tem-*

e Extant apud Gewold cap. 10 de Septemuir.

tempore Frederici Primi nominasse se Electorem, & hoc titulo vsum, S. R. I. Archidapifer, & Princeps Elector. Nugæ, nugæ. Dic vbi se nominauerit Electorem. Refert enim magnopere idipsum. An in diplomatibus? Certè si hoc titulo adeo gloriaretur, in diplomata sua retulisset, aut nusquam. Principes enim nullibi splendidiores, quàm in diplomatibus videri voluerunt. Sciebant enim hisce litteris, hisce tabulis, hisce documentis memoriam sui nominis atque magnitudinis peruenire ad posteros, & sæculis tradi. Et tamen Conrardi diplomata amictus ille non exornat. An in conuentibus publicis aut priuatis? Nulla adhuc vestigia inueni. Non credo, nisi probaueris. Nullos testes, nullas tabulas Crusius allegat. Dixit quidem se legisse. Sed vbi? Designa locum. Quæro vbi hoc legerit Crusius? Vis dicam vbi? In pariete scilicet, statuæ adscriptum. O egregiam probationem! Apage, apage. *Ad populum phaleras.* Quid? Id nos, quod

ab aliquo idiota, & nescio quo pictore, tanto post tempore parieti circumlitum est, pro vero accipiemus testimonio? Aliud nisi adfers, frustra sudasti. Tritum est illud,

Pictoribus, atque Poëtis
Qualibet audendi semper fuit aqua potestas.

Vis certius proferam argumentum, quod ridiculam illam ineptiam contundat? Interrogo tantum, cur hic titulus monumentum eius non occupauerit? Quidquid ad honorem Conrardi pertinebat, quidquid titulorum congeri poterat, in marmore sepulchri sculptum fuit, Palatinus Rheni, Dux Sueuiæ, Comes in Gemino Ponte, frater Imperatoris. Extitit aliquando epitaphium eius in monasterio Scönavv ad vnum ab Heidelbergâ lapidem, his verbis e: *ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS MCXCII. VI. IDVS NOVEMBRIS, OBIIT ILLVSTRIS PRINCEPS, DOMINVS CONRARDVS, COMES PALATINVS RHENI, DVX SVEVIAE, CO-*

MES

e Extat apud Freher. Orig Palat. cap. 10.

mes in Gemino Ponte, Germanvs Frederici Barbarossae Imperatoris. Vide an Electoris vel Dapiferi mentionem præferat. Isto sæculo, si peritis antiquitatis credimus, longè alij mores fuere. Nundum eò vsque vanitas se extulerat, vt Electoris munus inter titulos reponeret. Ambitio illa post Carolum Quartum initium & incrementum cœpit, ac per omnes se Electores diffudit. *Et Filius Heidelbergæ degens.* Conrardus igitur Palatinus Rheni filium habuit? Valde mihi nouum videtur. Vnicam filiam reliquisse fertur Agnetem nomine: eamque sibi matrimonio iunxisse Henricum Henrici Leonis exducis Bauariæ filium: *qui defectu masculorum*, (inquit Hermoldus in historiâ Sclauorum *f*) *dignitatem soceri sui de manu Imperatoris suscepit iure beneficiario:* hoc est, Palatinus Rheni effectus est. *Bauariam tunc obtinente Henrico Leone à Cæsare postea proscripto.* Quàm insigniter hoc falsum. Henrici Sexti Imperatoris

f Lib. 4. c. 10.

ætate

ætate Henricus Leo Bauariam non habuit. Quippe lippis & tonſoribus notum eſt, à Frederico Primo fuiſse proſcriptum. Sed pergamus vlterius.

Addis igitur: *hoc in primis hic notandum, Henricum illum Leonem ſimul & Ducem Bauariæ, & Ducem Saxoniæ, atque huius Saxoniæ ſcilicet intuitu duntaxat Electorem fuiſſe.* Vnde conſtat? *Conſtat ex ſententiâ proſcriptionis, quæ talis fuit: Henricum ob feudi noxiam commiſſoriam peractam, Ducatu Ribuariorum, & Saxoniæ exfuſticamus, & ab eo, illiuſque generationis hominibus auferimus ius eligendi Cæſarem, quâ laudis prærogatiuâ, ipſe & pater eius ſplendidus extitit.* Sed obſecro, quomodo ex hac ſententiâ colligis, Electorem tantum fuiſse Saxoniæ intuitu? Nonne purè & ſimpliciter ſententia dictat, ius eligendi ab eo auferri, ſine relatione ad Saxoniam? *Immo*, inquis, *patet ex litteris inueſtituræ datis Bernardo Anhaldino, quarum hæc verba fuere: In Bernardum nobis, &*

Im-

Imperio fidelem, ac dilectum Principem, conferimus tractum Saxonicum, ac munus Electorale, quæ Henrico priori possessori omni iure postulante abdicauimus. Bellum acumen: egregium argumentum. Quid tibi vis cum hisce verbis ex Anhaldini inuestiturâ transumptis? Vis ostendere Anhaldinum fuisse inuestitum de Electoratu? Vltro confiteor. Vis inde efficere Henricum Leonem non fuisse Electorem intuitu Bauariæ? Nego. Quippe non sequitur, Anhaldinus de Electoratu Saxoniæ inuestitus fuit, quem Henricus Leo habuerat: Ergo Henricus Leo non fuit Elector ratione Bauariæ. An igitur vnus Princeps duos Electoratus possidere non potest? Quis est tam imperitus iuris qui hoc negauerit? Si possidere possit duo territoria, cur non & duos Electoratus territorio coniunctos, atque affixos? Henricus Leo fuit Dux Bauariæ: fuit etiam Dux Saxoniæ, atque vtriusque nomine simul Elector. Exauctorato eo in comitijs Ratisbonensibus,

Fredericus Primus Ottoni Magno VVittelſpacenſi Bauariam tradidit. Anno ſequenti in Saxoniam progreſſus *g*, Bernardo de Anhalt Alberti filio Saxoniam contulit. Sic ergo diuerſo tempore vterque Principum beneficio affectus eſt, & ſeparatam quiſque inueſtituram accepit. Extat fragmentum inueſtituræ Saxonicæ, & de Electoratu nominatim meminit. Quid inueſtitura Bauarica? Si poſſes oſtendere, nullam Electoratus mentionem præferre, haberes forte quod meritò nobis opponeres. Sed nullæ eius ſuperſunt reliquiæ. Inueſtituram verò Saxonis ad conuellendum Electoratum Bauaricum tam ineptè allegas, quàm ſi ex inueſtiturâ Bauari, Electoratum Saxonicum velles impugnare. Diuerſa ſunt hæc, & ſeiuncta. Poſſunt vni perſonæ accedere, poſſunt duabus. Alter Electoratus nec pellit alterum, nec impedit, & à ſeparatis non valet argumentum.

g Auentin. in Annal. Boico lib. 6.

Interim reuomere non deſinis, *hoc probè*

bè notandum aduerſus Chriſtophorum Gevvoldum, continuò vociferantem, ante nuptias Ottonis Bauari cum Agnete Palatinâ, & factam Bauariæ cum Palatinatu coniunctionem, nullum quidem numerari poſſe, qui Electoratus munere functus ſit, quod eſſe falſum ex iam dictis apparet Itane? ex dictis tuis falſum apparet? Quem igitur Palatinum nominaſti, Electorio munere functum, ante ſupradictas nuptias? Adeo anxius & turbidus in hæc quæſiuiſti omnia, vt non inania modo, ſed etiam ſæpe falſa effutires, & adhuc eruiſti neminem. Vociferatus eſt Gevvoldus, & meritò. Ego quoque pariter vociferor, & toties iam à te flagito, toties vrgeo, toties inſto, vt mihi vel vnum nomines. Eadem controuerſia Gevvoldo cum Frehero fuit, quæ mihi eſt tecum. Petierat aliquando ille à Frehero, vt proferret Palatinum aliquem, qui ante ſupradicti Ottonis nuptias contuliſſet ſuffragium in Electione. Hic tandem Henricum Henrici Leonis exducis Bauariæ fi-

lium in scenam produxit, (de quo mox dicam) præterea neminem. Atque ingenuè alibi confessus est, *nihil se præterea habere, de priscà illà Palatinorum gente; quorum tota prosapia & progenies nobis incerta, & incognita est: eoq; magis, quod nec in vnâ eorum familià, hæc dignitas hereditaria & successoria erat: sed Cæsarum beneficio & arbitrio Palatina prærogatiua modo huic, modo illi, ob eximia merita conferebatur.* Tu scilicet Frehero doctior Gevvoldum audes falsi accusare, quod nominari neminem posse dixerit, cum interea neminem nomines. Quod si aliquem idoneè docere possis, quid dissimulas? Quid cunctaris efferre, & nos falsi conuincere? Res est incerta, & oppidò obscura Frehero teste, qui in vestigandâ Palatinorum origine totam ferè ætatem consumpsit. Tu tamen vis esse repertissimam. Sed nomina nobis, & exhibe aliquem. Dic quomodo tibi innotuerit, quo referente id scias, quod nemo retulit, nemo cognoscit. Si potes, cur

non

non facis? Si non potes, quid ergo accusas?

Eiusdem farinæ reliqua tua sunt, & fallentium verborum apparatu instructa. Dicis, *post obitum Henrici, Principes ancipiti contentione distractos, creasse duos Imperatores, Philippum Sueuiæ Ducem Henrici fratrem, & Ottonem Quartum Saxonem Ducem Brunsvvicensem. Philippo adhæsisse Saxoniæ Ducem, Marchionem Misniæ, Bohemiæ Regem, Ludouicum Ducem Bauariæ. Ottoni Coloniensem, Henricum Comitem Palatinum, & Argentinensem.* Sic est. Duo fuerunt electi hac tempestate: vtrique sui fautores in partibus, vtrique etiam sui Electores. Dixi aliàs, & iterum dico, electum esse Philippum à Ludouico Bauariæ Duce. Tu contra vis Ottonem electum ab Henrico fratre Palatino Rheni. Quì credam verum esse, quod tam facilè refutari potest? Dicis Crantzium & Reineccium cum Arnoldo Abbate stare à vobis. Qui verò Crantzius, & Reineccius?

nonne nouitij? Vix vnius sæculi interuallo à nobis distant. Nimis certè recentes sunt, vt certi aliquid statuere possint, & de causâ liquidò pronuntiare. Quid tamen Crantzius? Dicitne Henricum Palatinum fuisse Electorem? Non: & si diceret, fidem ei non haberem. Dicitne Ottonem ab Henrico electum? Non: & si diceret, in alium sensum verba acciperem. Quid igitur? Dicit *annitente eo fratrem eius Ottonem Romanum Regem creatum esse.* Prò hominum fidem! Est'ne hoc dicere Electorem fuisse? An ergo tibi eligere videtur, qui pro alieno honore studia sua fauoremque impendit? qui suffragia venatur & ambit? qui fratrem candidatum Principibus ostentat & commendat? Atqui nihil aliud est pro fratre anniti, quàm intentiori studio pro fratre incumbere. Sic certè solemus loqui. Quilibet pro alio anniti potuit: eligere nisi Septemuir nemo potuit. Si hæc res Henricum Palatinum Electorem fuisse ostendat, innumeros ha-

bebi-

bebimus Electores, & pro Septemuiris Milleuiros inueniam. Eadem enim ratio Richardum Angliæ Regem Electorem faciet, qui ingentem vim pecuniæ inter Germanos Proceres erogauit, vt venale Ottoni licitaretur Imperium. Quid porrò? Eadem ratio Episcopum Bambergensem Electorem faciet. Nam vt ait Abbas Vrspergensis, *Conrardus Francus, Principibus pro electione eius dissidentibus, Arribone Moguntino Archiepiscopo, & Eberhardo Bambergensi præsule sibi fauentibus, regnum accepit.* Quid porrò? Eadem ratio Episcopum VVirceburgensem, Episcopum Metensem, Carinthiæ Ducem, Rudolphum VVelsum, in summâ totius ferè Principes Germaniæ Electores faciet. Quippe idem Vrspergensis tradit. *Rudolphus Comes de Reinsuelden Sueuiæq; Dux, mediantibus Sigefrido Archiepiscopo Moguntino, Adelberone Episcopo Wircenburgensi, N. Metensi Episcopo, Bertholdo Carinthiæ Duce, Ottone Bauariæ olim Duce, Rudolpho Welf,*

Welf, & alijs plerisque Teutonicis Principibus anno 1077. *apud Forcheim in Regem Romanum eleuatus & vnctus est.* Quid multis? Infinitum esset, si vellem persequi cunctas eiusmodi loquendi formulas per annales sparsas, & eodem argumento nobiles omnes Electores facere. Veniamus nunc ad Reineccium, aliquid amplius dicere videtur. Ait enim, *Henricum Palatinum electionem fratris suffragio suo adiuuisse.* Veruntamen nisi vnius verbi laqueo nos capere velis, idem planè quod Crantzius sensit. Nusquam dicit Henricum Palatinum Electorem fuisse. Quin immo Electorum, vel electionis non meminit. Dicit Ottonem fuisse adiutum suffragio fratris. Vox suffragium, quàm habet vim? Aliàs calculum, aliàs studium & auxilium pro re natâ significat. Quid autem est facilius quàm probare, ijs qui latinè sciant, hoc loco pro studio accipi? Quasi diceret adiutum esse Ottonem studio fratris. Mira est in his verbis proprietas,
&

& consuetudo sermonis. Alieno calculo adiutum quempiam dicimus, cum propter eius accessionem respondit euentus. Sed hoc non voluit Reineccius dicere. Pro studio igitur accipiamus necesse est. Omittamus autem disputationem de verbis. Nonne tamen Reineccius Arnoldi Abbatis Lubecensis auctoritatem sequitur? Spectandum est ergò quid ille scripserit, vt sciamus, quid & Reineccius senserit. Nam in Arnoldo Abbate, omnia contra prædicationem tuam pro nobis reperiuntur. Verba eius sunt ista: *Henricus Palatinus Comes colloquio in quo de noui Regis creatione tractabatur, interfuit, & cum multis nobilibus in Regem & Romani Imperij Principem elegit.* Non dicit interfuisse Electioni: sed colloquio & tractatui in quo agebatur de Rege creando. Aliud est, crede mihi, colloquio interesse, aliud interesse electioni. Colloquio interesse, est conferre cum cæteris, & deliberare quem potissimum desiderent Imperatorem. At

contra eligere, est suffragio suo Imperatorem designare. Quilibet colloquio interesse poterat, non omnes tamen eligere poterant. Olim enim cum ageretur de nouo Imperatore, totius prope Germaniæ Principes, nobilesque, subinde etiam liberarum ciuitatum legati cum Septemuiris ad comitia confluere consueuerant. Ad illos enim spectabat nominatio: ad hos electio. Hoc quàm verum sit, ex illo intelliges, quod memoriæ prodidit VVelbertus Conrardi Secundi Imperatoris Sacellanus de electione Lotharij Regis. *Mortuo*, inquit, *Henrico Rege, valde multi Principes, ex toto Regno congregati sunt in vrbe Moguntiensi, vbi de electione noui Regis magnus erat tractatus. Initio in magnâ curiâ collecti erant omnes, qui vbi fuerunt Ecclesiastici & sæculares Principes, quorum plerique nudè & simpliciter nominabant, quem optabant per alios eligi, & tamen ipsi non eligebant: quia non habebant voces suffragiorum realium. Cum igitur nominarent Lotha-*

Lotharium, dixerunt, prompti ſumus huic obedire, ſi vos eum introniſabitis in regnum, veſtris annuentibus votis, & beneplacito, nulla diſcordia erit. Pauci autem Spirituales & Temporales Primates, examinantes perſonam Lotharij, & bellicoſa facta, ac merita erga Chriſti ſeruos & noſtram Eccleſiam, eum votiuè elegerunt. Alij Principes, qui nulla dabant ſuffragia, libenter eum amplexati ſunt ſuo fauore, & habuerunt pro Rege. Hæc ille. Sententiæ eius accedit Amandus Frederici Primi ſecretarius in libello qui inſcribitur, *De primis actis à Frederico in Imperio,* cum ait; *Multi illuſtres Heroës ex Lombardiâ, Tuſciâ, Ianuenſi, & alijs Italiæ dominijs, ac maior & potior pars Principum in tranſalpino Regno conuenerunt in vrbe Francofurtenſi. Plurimo numero Principes conuenientes, dixerunt per ſuos internuntios ad ſex aut ſeptem Principes Officiatos regni, reſidentes in arcano loco curiæ Regalis: Nos & tota patria teſtatur nullum eſſe regno regendo aptiorem, quam Fredericus de*

 Stauffa,

Stauffa, natum ex generosâ prosapiâ, meritis ac virtutibus decoratum, ac illustrem. Quem vos Deus in regnum sublimare dignetur. Cui parata erunt nostra obsequia, vsque ad mortem. In hunc si vestris vocibus, Officiati, consentitis, firmum robur habebit sui Imperij. Cum ex secreto conclauij prodirent Officiati. iudicantes ipsos vnanimiter Fredericum in Regem, seruatis de more seruandis, elegisse; cunctus omnium Ordinum applausus est consecutus. Aliud, vt vides, Septemuiris siue Officialibus propositum fuit: aliud cæteris Principibus Imperij. Hi de cuiusque virtute publicè deliberabant, illi in secretò suffragabantur: hi nominabant, illi eligebant: hi petebant, illi designabant. Hinc illud Ottonis Frisingensis; *Conrardus ab omnibus, qui aderant, exposcitur.* Item. *Defuncto Conrardo, Fredericus Sueuorum Dux ab omnibus petitur.* Nihil enim amplius Principibus permittebatur, quàm vt desiderium suum Electoribus exponerent. Accipere cogebantur Imperatorem: dare non pote-

poterant. Plerumque tamen eueniebat, vt concordiæ Principum ſuffragijs ſuis Electores accederent. Victa enim erat conſenſu publico diſſentiendi libertas. Principibus tamen in vnum aliquem non conſpirantibus diſcordiam eorum Septemuiri deligendo dirimebant. Si & ipſi ſcinderentur in contrarias ſententias, fiebat ſeceſſio: & diſcordia foras prouoluebatur, in factiones bellumque itura. Hinc tot ſchiſmata in Imperio: necdum recepto ſaluberrimo more, vt quò plures iſſent, cæteri ſequerentur, numeratiſque ſuffragijs maior pars minorem vinceret. Quæ cum ita ſe habeant, ipſe deſpice, quàm rectè Henricum Palatinum Septemuiris annumeres, quem in colloquio tantum, non in conclaui fuiſſe legimus. Hoc loco mihi acclamabis, Abbatem Lubecenſem hoc amplius dicere, Henricum elegiſſe. Examina eius verba, & expende diligenter, vt non contentus fuerit dicere, *elegit:* niſi etiam adderet, *cum cæteris nobilibus.* Elegit

itaque Henricus Palatinus Ottonem fratrem. Sed *elegit cum cæteris nobilibus*. Quid est istud, *elegit cum cæteris nobilibus?* Est'ne aliud quàm nominauit, & approbauit? Cæteri nobiles nominabant tantum, & approbabant; Idem ipse fecit quod cæteri nobiles. Non elegit igitur: sed duntaxat nominauit. Scriptores eius ætatis, cum volunt exprimere sublatum aliquem communi consensu, dicunt ab omnibus fuisse electum. Electio enim dubiæ significationis verbum est. Aliquando enim specialiter accipitur, & solis Septemuiris conuenit: aliquando generaliter, vt complectatur & nominationem. Hac significatione in illius temporis historijs frequenter occurrit. Vt iuris Pontificij constitutionem omittam *h*, atque interpretum nostrorum sententiam: addam vnum atque alterum ex annalibus exemplum. Otto Frisingensis de electione Henrici Quinti; *Henricus ab omnibus regni Principibus in Regem electus est.* Abbas Vrspergensis;

h c quod sicut, in princip. x. de electio.

gensis; *Ottone Quarto excommunicato, Rex Bohemiæ, Dux Bauariæ, Dux Austriæ & alij complures Principes conuenientes, Fredericum Siciliæ Regem in Regem Romanorum elegerunt.* Idem; *Mortuo Henrico Sexto, Philippus Sueuorum Dux frater eius conuentum in Mülhusen adunauit, vbi à Sueuis, Saxonibus, Bauaris, Bohemis, & Principibus compluribus Regni, eligitur in Regem.* Et ne longius à proposito recedam, prouoco ad epistolam de Electione Ottonis Quarti ad Innocentium Tertium Pontificem missam *i.* Moris enim erat electione factâ, Pontificem Maximum certiorem facere, quis, quomodo, & à quibus electus esset futurus Imperator, simul his vnctionem, consecrationem, & coronationem exigere. Extremitatem tantum epistolæ percurre, vide qui se dicant elegisse. *Ego Adolphus Coloniensis Archiepiscopus elegi, & subscripsi. Ego Bernardus Padebornensis Episcopus elegi, & subscripsi. Ego Thietmarus Mindensis Episcopus elegi, &*

i Extat apud Miræum in notit. Ecclesiar. Belgic. cap. 181.

& subscripsi. Ego Wittichindus, Corbiensis Abbas elegi, & subscripsi. Ego Gerardus Tudensis Abbas elegi, & subscripsi. Ego Heribertus Werdensis Abbas eligi, & subscripsi. Ego Henricus Dux Lotharingiæ, qui & Brabantiæ, Marchio Romani Imperij elegi, & subscripsi. Ego Henricus Comes de Cuke consensi & subscripsi. Possum'ne in animum inducere, esse te tam stultum, vt arbitreris hos omnes fuisse Electores? Quomodo igitur videbuntur elegisse, nisi & ad consensum referas?

Quid tamen opus tot verbis? Si Henricus Palatinus Ottonem elegerit, quæro cur in supradictis litteris inter cæteros non numeretur? Recensentur omnes Proceres, qui interfuerunt: suo quisque ordine subscripsit: vnum nomen Henrici Palatini, vnum eius testimonium desidero: Dic quare? Fuit Elector? Cur non nominatur? Suffragium contulit? Cur non consignauit? Nam si quando, tunc maximè facere debuerat, quo factioni suæ au-

ćtoritatem adijceret: tunc inquam, cum in isto schismate, in istâ secessione, scinderentur studia Principum, alium atque alium Imperatorem proclamantium. Pro Ottone, vt ais, apertè stetit. Summo studio vt promoueretur adnixus est: & vis eum dedisse suffragium, de qùo contra maiorum morem, contra publicam consuetudinem, nullum apparet in tabulis indicium, nullum vestigium? De quo denique Abbas Vrspergensis non meminit, qui cæterorum Principum nomina accuratissimâ diligentiâ posteritati mandauit? Non est hoc simile veri. Paucis dicam quod sentio. Non credo Crantzio, non credo Reineccio, Arnoldo Abbati non credo. Vno omnes ore loquuntur. Dico Henricum vestrum eâ tempestate non fuisse in Germaniâ: dico non fuisse in Imperio: dico in Europâ non fuisse. Quod dico ita est. Compertum habeo. Negate multò prius quàm Otto eligeretur cum Henrico Sexto ad sacrum bellum in

 Syriam

Syriam profectum *l*, ego vobis diploma obijciam *m*? Negate vſque ad exceſſum Henrici Sexti, & longo poſt tempore hæſiſſe in Syriâ; Auentinum *n* & Godofredum Monachum *o* citabo in teſtimonium. Negate in reditu perijſſe naufragio, Irenicum *p* aduocabo, qui vos coarguat. Quomodo igitur potuit pro fratre Ottone ambijſſe Imperium, ſtudium & operam impendiſſe, ſuffragio ſuo ad culmen extuliſſe, cuius abſentiam non poteſtis negare, niſi vt tot ſcriptorum fidem ſollicitetis? niſi vnius Lubecenſis Abbatis auctoritatem, cum Ottonianorum electorum epiſtolâ ad Pontificem Innocentium ſcriptâ, audeatis conferre?

l Anno MCXCIX.
m Extat apud Freheru. origin. Palat. lib. 1. cap. x 1.
n Vernacal. edition. lib. 8. pag. 373. & 374.
o In Annalib. pag 265.
p Lib. 3 exegeſeos cap. 54.

Sed eſto. Henricus Palatinus Ottonem elegerit, dicis causâ tibi concedam. An inde reuinces fuiſſe Electorem? Non herculè magis, quàm Auſtriæ Ducem, qui in electione Frederici Secundi ſuffragium contulit. Electio Septemuirum non facit: ſed officium, & poteſtas. Potuit aliquis

quis per ignorantiam, potuit per errorem, vel dissimulationem admissus fuisse ad conclaue: ea tamen res Septemuirum non constituit. Si quid simile admissum sit, in Henrico Palatino, dico per dissimulationem factum: dico non iure elegisse: sed hanc sibi prærogatiuam perperam arrogasse tanquam Saxoniæ Ducem. Nonne Saxoniæ Ducis titulum cum fratre Ottone palam vsurpauit? Nega, nega. Res est manifestaria. Epitaphium eius in testimonium depromam. *Anno .... Calend. Mai obiit Illvstris Princeps Henricvs Comes Palatinvs Rheni Dvx Saxoniae* q. Nonne Saxoniæ Ducem Vrspergensis appellat? nonne & Cuspianus, vbi sacri belli Principes enumerat? Certè Conrardus de Fabaria r. Ottonem etiam Quartum sic indigitat: propterea quod Frederico Primo transmarinis bellis occupato, Henricus Leo ab exilio reuersus, magnam Saxoniæ partem; hoc est, Brunsvvicensem & Luniburgensem

q Extat apud Freher. lib. 1. cap. 10. Orig. Palatin.

r In casib. monaster. S. Galli.

ſem regionem, Anglorum ope inuaſit, liberiſque ſuis Ottoni & Henrico, æquis partibus iure quaſi hereditario tradidit. Quid ergo? Nemo eſt puto tam ſtolidus, qui non dicet, Henricum Palatinum, qui Saxoniæ Ducatum titulumque præſumpſerat, tunc etiam occaſione raptâ, vt fratri adeſſet ad humanarum rerum culmen aſpiranti, arrogaſſe ſibi Electoratum Saxoniæ, quem patri cauſabatur iniuſtè ablatum. Præſertim in illâ publicâ tempeſtate, cum Septemuiri in factiones diſtracti; cum Principes Imperij vtriuſque Ordinis, velut ſigno ad permiſcenda omnia dato; cum vrbes Imperiales, & inter eas acerrimæ Argentoratum & Colonia Agrippina caput orbi imponere molientes; cum proiecto omnes ſacramento, quod Frederico puero præſtiterant, nihil præter libidinem vireſque habuere in conſilio. Cum alij ad Landtgrauium Turingiæ reſpicerent, alij Bertholdum Zaringiæ Ducem præferrent, alij Ottonem accerſerent ex Angliâ.

cæteri

cæteri Philippum Henrici Sexti fratrem eligerent. Quis obſecro in hac perturbatione publici ſtatus, in hac Ordinum officiorumque confuſione, quando ima ſummis miſcebantur, Henricum Palatinum remouiſſet ab electione & ſuffragio? An Archiepiſcopus Colonienſis? eius non intererat an eſſet Septemuir: multum intererat, an vt Septemuir eligeret. Colonienſis enim Ottoni fidus, neminem ex cæteris Septemuiris in partibus habuit. *Tota curia Imperialis* (inquit Vrſpergenſis) *& Officiales adhærebant Philippo.* Qui ſunt Officiales Imperij? nunquid Dapifer? nunquid Mariſchalcus? nunquid Pincerna & Camerarius? Atq; illi omnes adhærebant Philippo. Henricus Comes Palatinus non adhæſit. Non fuit igitur Dapifer, non fuit Mariſchalcus, breuiter Officialis non fuit. Conſequenter etiam non fuit Elector. Et ideo ſi quid vt Elector fecerit, non iure fecit. Alienam prouinciam inuaſit, alienum ſibi munus vindicauit.

Sed perge. *Ottoni deinde succeßit Fredericus Secundus Siciliæ Rex Frederici Barbarossæ filius.* Quid ad me? non successit iure hereditario, sed per electionem. Non quærimus quis successerit; sed vter successorem elegerit, Palatinus an Bauarus. Quis tunc Palatinatum obtinuit? Nunquid Henricus ille de quo supra mentionem feci? Quare non conuenit ad hanc electionem? Bauarus sanè non defuit. Admissus est ad electionem, admissus est ad suffragium. Quem igitur nisi Bauarum dicemus fuisse in possessione?

Frederico post aliquot annorum interregnum succeßit filius eius Conrardus Quartus, paucis post annis veneno extinctus. Deinde Guilielmus Hollandiæ Comes, ab Electoribus Cæsar electus est. Confidenter tu ista: sed vide quàm verè. Non est electus Conrardus post interregnum: Electorum consensu à Frederico patre in consortium sceptri asumptus fuit. Frederico deinde excommunicato, & Conrardo neglecto, Hen-

Henricus Hessiæ Lantgrauius, mox Guilielmus Hollandiæ Comes ab Electoribus substitutus est: vt nec vllum inde interregnum possis dicere.

Deinde in Imperij comitijs, in quibus de Augusto deligendo & in Guilielmi Cæsaris locum subrogando deliberatio suscepta erat, diuersa suffragia contulerunt. Nam Archiepiscopus Coloniensis suo & Moguntini nomine, cuius Vicarius erat, Comes quoque Palatinus Rheni Richardum Cornubiæ Comitem, Angliæ Regis fratrem elegerunt. At Archiepiscopus Treuirensis & Dux Saxoniæ, qui absentis Brandeburgici partes sustinebat, Alphonsum Castellæ Regis filium suis suffragijs Imperio præfecerunt. Sed obsecro Henricum Bauariæ Ducem cur hìc dissimulas? Nunquid cum Ludouico fratre Palatino Rheni Richardum elegit? Istud sine manifestâ calumniâ negari non potest. Sed tu egregiè circumspectus, & admodum callidus, consultò præteris: ne tuis quis te verbis reuinceret, qui confidentis-

simo

fimo ſtilo aſſueras, Electoratum ita Palatinatui coniunctum, vt eodem nemo munere perfungi poſſit, niſi ad Comitatum Rhenenſem elatus, poſſeſſioni Palatinatus incumberet. Hic ego te interrogo, ſi verum eſt quod affirmas, quomodo Henricus Bauariæ Dux admiſſus fuit ad hanc electionem? cui fortuna tantum non indulſerat, vt vel glebam terræ in Palatinatu Rhenenſi poſſet vindicare? Reſponde ad hoc ſi quid habes. Henricus Bauariæ Dux fuit Elector: idem tamen Comes Palatinus non fuit. Quâ ratione igitur potes efficere Electoratum fuiſſe Palatinatui coniunctum?

Neutro horum electionem acceptante. Turpiter erras, Bone Vir. Richardus acceptauit Imperium, & Aquiſgrani coronatus fuit. *Sceptra ad Rudolphum Primum Habſpurgenſem Comitem delata ſunt.* A quibus? Cur non addis? Quid times? quid diſſimulas? An putas occultum eſſe, quod ad nos tot monumentis demiſit antiqui-

tas?

tas? Non sanè, non est occultum. Supra docui electum esse ab Henrico Bauaro & Ludouico Palatino fratribus. Hoc fatetur Rudolphus Imperator. Hoc indicant publicæ tabulæ. Hoc scriptorum veterum auctoritas confirmat. Sed perge.

Quo mortuo factus est Imperator Adolphus Comes Nassouiensis. Rursus perge. *Qui fuit per Electores rursus depositus, atque in locum eius Albertus Austriæ Dux, Rudolphi filius communibus suffragijs electus.* Et perge. *Porro Alberto mortuo successit in Imperio Henricus Septimus, eligente inter cæteros coëlectores Rudolpho Palatino Rheni Comite.* Elegerit Rudolphus Palatinus Henricum Septimum: solus Palatinatum possederit: nihil hac in re tibi detraho: sed candorem hic tuum rursus desidero, quod fratrem eius Ludouicum Bauariæ Ducem videaris excludere à consortio Electionis. Dixi supra, & iterum dico, Ludouicum Bauarum fuisse coëlectorem: dixi præterea, ad hæc venisse comitia cum

Rudolpho fratre: vnà denique tulisse suffragium. Aut diluas oportet, & falsum esse doceas, aut Electoratum Bauariæ annexum fateare. Nam si Electoratus non possit haberi sine territorio: Ludouicus Bauarus in Comitatu Rhenensi nihil vsquam possidebat: & tamen fuit Elector: Vnde igitur? quo respectu? cuius territorij intuitu? Aliud adferri non potest, quàm Bauaria, quæ inter posteros Ottonis Magni sic semper diuisa fuit, ne ad vnum tota perueniret, sicuti Palatinatus Rheni: sed partem inde suam, propter Electoratum quisque auferret. Vnde ea portio Bauariæ, quæ Palatinis acciderat, Superior Palatinatus dici cœpit, proprioque nomine relicto possessoris assumpsit. Hac ratione, si Dijs placet, facilè concedam, Electoratum quoque Palatinatui annexum. Quia verbis tantum dissentimus, non re ipsâ. Perinde enim est, ac si diceres, Bauariæ annexum. Quia Nortgoia, hoc est, Palatinatus Superior pars est superioris Bauariæ.

tiæ. Hæc tibi noua videntur; Superioribus tamen sæculis fuere notissima. Hinc Clemens Quintus Pontifex Maximus Rudolphum istum Palatinum Comitem, non quà Palatinum, sed quà Bauariæ Ducem litteris hortatus est *l*, vt in locum occisi Cæsaris Alberti, dignum aliquem successorem deligeret Satis quippe nouerat Pontifex, hanc prærogatiuam deberi Bauaris, quibus etiam Consilium Lugdunense peculiariter adscripserat. Nisi enim ita sensisset, profectò non peccasset in formulam; quàm Romanæ Curiæ librarioli scrupulosissimè semper, religiosissimeque obseruant. Quid ergo? Negas Pontificem Maximum ita scripsisse? Minimè negas: sed inde ratiocinaris, Ludouicum Bauariæ Ducem non fuisse Coëlectorem, quod ad eum quoque Pontifex non scripserit. O mirificum argumentum! Ad vnum Rudolphum epistola scripta est: ergo Ludouicus non fuit Elector. Quidni & dicam? ergo nec Saxo fuit Elector. Ergo nec Mo-

l Extant apud Gevvold. in in Septemuirat. cap. 6. n. 38

guntinus, nec Coloniensis. Nam ne ad illos litterarum quidquam Pontifex dedit. Ad vnum Rudolphum epistola scripta est; sit sanè. Non est mihi reddenda ratio, cur vni potius quàm alteri scripserit Pontifex. Vsitatum est, solet fieri. Non omnibus semper commendamus desideria nostra, nec in omnibus fiduciam ponimus, nec pari amore complectimur omnes. Illud vnum hoc loco spectandum est, quod Rudolpho tanquam Bauaro Pontifex demandauerit. Est hoc grauissimum, & firmissimum argumentum, Electoratum pertinere ad Bauaros: quod pluribus ego verbis complecterer, nisi certiora, & clariora protulissem testimonia.

Post Henrici Septimi mortem, Cæsar creatus est Ludouicus Bauariæ Dux. Cuius Imperatoris extat edictum, quo testatur, longâ & inueteratâ consuetudine, inconcussè à maiorum ordinatione hactenus obseruatâ, vacante Imperio ius administrandi Imperij Palatinis Rheni deberi. Vbi extat illud edictum?

ctum? Quanquam non video, quid ad rem magnopere attineat: iamdiu tamen aueo inspicere, quod nusquam inuenio. Erras bone vir, si putas, nec Vicariatum stare posse sine Electoratu, nec vnquam stetisse. Multi ad Vicariatum peruenerunt, qui Electoratum non attigerant. Recognosce singulos & considera, quos plenæ nobis administrant historiæ. Fredericus Primus Italiam petens, Henricum & Philippum filios vicarios reliquit in Germaniâ. Ipse denique Ludouicus Cæsar, vt cæteros præteream, Ottonem Austriæ Ducem in Germaniâ: in Regno Arelatensi Edoardum Angliæ Regem vicarios constituit. Leges suas haut dubiè calcauit, si Vicariatum edixerit Palatinis debitum, ipse tamen alteri detulerit. Dicis Vicariatum Electoratui annexum. Quod si ita est; Bauari igitur fuerunt Electores, non Palatini. Quia Ludouicus Ottonis Magni filius Bauarus fuit, non Palatinus: eum tamen Conrardus de Fabaria *m* prodit, *Res*

m In libell. de casibus monaster. Sancti Galli.

Imperij consilio suo disposuisse, eo tempore quo Fredericus Secundus in Apuliâ agebat, & ab Abbate Sancti Galli, alijsque Principibus suscepisse inuestituram. Cum quo consentit Cuspinianus, dum scribit: *tam in priuatis, quàm publicis in Alemanniâ curatorem præfecit.* Quid hoc est aliud, quàm Vicarium constituere: Nolo tamen in ingentem me Labyrinthum mittere, & de Vicariatu disputare. Sed oro tantum, vbi extet illud edictum. Dic vbi, quin respondes? Non habeo, inquis, ad manum, extare tamen Freherus scripsit. Ego planè non curo quid Freherus scripserit. Non est ille, cui in hoc negotio credere debeam, qui incredibilia multa affirmauit, vt ad incredibilia perueniret. Volo edictum ipsum inspicere. Neque id de nihilo postulo. Certum est nullum extare, nec extitisse vnquam. Neque hæc quæstio noua est, & hodie primum nata. Inter Freherum & Gevvoldum acerrimâ contentione agitata fuit, missis hinc inde crebris libellis. Iussus

est

eſt Freherus exhibere edictum. Quid fecit? num exhibuit? Minimè certè. Quid igitur? tanquam in manifeſto mendacio deprehenſus ad excuſationem confugit, & Cuſpinianum pro ſe reum dedit. Quis autem Cuſpinianus? ſcriptor neotericus. Et quid ille? Dixit vacantis Imperij adminiſtrationem Palatinis deberi ex antiquâ conſuetudine. Sed cum hoc dixit, non reſpexit ad mores ſuperioris ſæculi; de ſui temporis conſuetudine locutus eſt. Nullum tamen edictum exhibuit; ſed ad Bullam Auream ſpectauit. Apage igitur cum hoc commento. Fucos illos popello vende, figmenta illa alijs diſtribue. Nimium oculatæ ſunt noſtræ manus; nihil credunt, niſi quod vident.

Satis multum temporis ſparſimus, quod verborum tuorum cauillatio eripuit. Sed his omnibus, vti arbitror, tota diſſoluta eſt. Dixiſti veſtram eſſe poſſeſſionem: ſed quo, precor, modo probaſti? Quid tot verbis hactenus effeciſti, niſi vt oſten-

ostenderes quo quisque ordine Imperator successerit? Quasi historiam, non probationem instrueres. Non est hoc, Bone Vir, quod quærimus. Scire volumus, vbi possessionis tuæ vestigia delitescant. Quid omnino allegasti, quod eò spectaret? Immo quid omnino non allegasti, quod te erroris, vel mendacij reuincat? Si in foro res ageretur, satis haberem, quod verbo arguis, verbo negare. Sed quoniam in oculis omnium, & apud multas imperitas aures causam dicimus, necesse etiam fuit, inepta hæc, & friuola diluere: ne silentio agnouisse potius, quàm contempsisse videar.

Nunc ad argumenta replicandum est, quæ ad sententiæ suæ confirmationem Gevvoldus protulit, in quæ tu tot tela petulanter iecisti. Benè tamen est, quod nullum peruenerit, quò destinaueras. Multis tis machinis verberata est veritas, non est tamen loco mota, nullumque adhuc vulnus tot ictibus petita accepit. Replican-
dum

dum tamen eſt, vt ex omni parte impenetrabilem intelligas. Tenebo autem eum ordinem, quem tu in reſponſione ſeruaſti. In primo quidem argumento non diſſentis à nobis. Electorum inſtitutionem Ottoni Tertio nobiſcum imputas. Secundum ſatis, ſuperque excuſſimus, quo falſum eſſe contendis Electoratum ab origine Bauariæ annexum.

Tertio igitur loco Gevvoldus aſſeruit, in vetuſtis monumentis nuſquam legi Electoratum Rhenij; ſed Imperij. Ita eſt profecto. Electoratum Rheni nuſquam legimus ante Auream Bullam. Negas & probationem poſtulas. Si tanti putarem diplomata proferrem. Exſpecto autem donec oſtendas, vbi Electoratum Rheni appellatum inuenias. Aliquid enim amplius in hoc negotio videris promittere.

Quid deinde Gevvoldus? Quarto loco in Schardium inuehitur; audaciſſimè aſſeuerantem incuriâ vetuſtatis: *Palatinos quidem Rheni Electores fuiſſe antiquitus.*

Quod autem rarius Historicis vel Chronographis vetustioribus nominentur, ratione non carere. Siquidem olim Palatinorum nomen non familiæ sicuti nunc: sed officij fuit: Saxoniâ, Franciâ, Bauariâ, & Sueuiâ suos Palatinos habente; eosque non perpetuos, seu hereditarios; sed saltem ad tempus vitæ, vt & alios Ducatus & Comitatus fuisse constat: donec (quod temporibus Lotharij & Conrardi factum est) ad nepotes transire cœperat. Cum ergo Palatinatus tunc non constaret in certâ familiâ, sed nunc in hanc, nunc in illam transferretur: sic vt qui ante Frederici Ænobardi tempora Palatini fuere, magis ex nomine familiæ suæ appellentur, quàm Palatinorum. Ista est Schardij sententia: immo verò Schardij hallucinatio est. Aduersus quam Gevvoldus respondet, non esse verum cæteros Palatinos non fuisse hereditarios. Nam Palatinatus Bauariæ in vnâ eademque familiâ Scirensi, quæ postea VVittelspacensis dicta, perpetuò & continenter perseuerauit ab Ottonis Primi ætate.

te. Cur eodem modo non dicemus Palatinatum Rheni fuisse hereditarium? In quo conditio eius à cæteris differt? An quia officij nomen Palatinatus fuit? Atqui Palatinatum Bauariæ Saxoniæ & reliquos, officij quoque nomina fuisse Schardius concedit: & tamen erant hereditarij, non temporarij. Non enim pugnat officium fuisse, & hereditarium. Quia non fuit merum officium; sed certo territorio beneficij iure annexum. Vnus Palatinatus Regius merum officij nomen fuit. Non erat enim territorio affixus, vel circumscriptus: nec iure beneficij, sed precario concedi consueuerat. Et hinc solus ille heredem non nouerat, sublatoque possessore, ad extraneos, præteritis liberis, transire poterat. At verò Palatinatus Rheni, super certo territorio fundatus, æque descendit in liberos, ac cætera beneficia, quæ Conrardus Secundus ad posteros promiscuè transtulit. Quis igitur dubitat gentis nomen, & familiæ fuisse? Non nego

equidem, sæpe masculorum defectu, in aliam transmigrasse familiam: nomen tamen suum abscondisse nego, sub alienæ gentis titulo delituisse inficior. Nunquam ad extraneos ita recessit, vt nomen suum possessoribus non communicaret, & quasi nouam constitueret Palatinorum familiam. Nomina mihi Palatinum aliquem, qui Palatinum se non dixerit, non inscripserit, qui alio nomine vulgo notus aut appellatus fuerit. Aspice Conrardum Frederici Barbarossæ fratrem, qui in Palatinatu Rheni Hermannum excepit. Aspice Henricum Conrardi generum & successorem, vtrum relicto gentis suæ nomine Palatinos se non nuncupent. At, inquies, Lotharij ætatem vterq; secutus est. Aspice igitur Cancronem, Ansfridum & Henricum Adelheidis maritum: non alio nomine quàm Palatinos Rheni vocatos fuisse diplomata *n* demonstrant: Historicorum verò memoriam effugiunt. Deniq; Adelheidis filium Sigefridum aspice, qui Hen-

n Extant apud Hubert. Tom. de Palatin. Origin.

Henrico vitrico ſucceſſit ſub Henrico Tertio. Nonne gente Brabantus fuit? Quibus tamen titulis in diplomatibus vtitur? Quo nomine Vrſpergenſi innotuit? Palatini Comitis; familiæ ſuæ nomen perdidit. Et tunc tamen, ſi Schardio credimus, Palatinatus necdum erat hereditarius. Ille demum ſucceſſionis beneficium Conrardo Tertio vel Lothario imputat. Quid ergo? Deſtruitur ſanè, quod Schardius ſibi probandum aſſumpſit: nempe Palatinos Comites antiquitus fuiſſe Electores: aut reddenda eſt ei idonea ratio, cur in tam celſo & conſpicuo loco poſiti, vnde ab omnibus conſpici poſſent, caput tamen non exerant: cur obliuionis tenebris demerſi iaceant: cur tam magna nomina nemo aperiat, nemo à ſilentio vindicet. Nam quod tu de tuo addis, Palatinos Rheni dictos olim fuiſse Ripuarios, meritò explodimus. Nemo veterum ſcriptum reliquit, præter te nemo retulit. Audi Bone Vir, quàm multa neſcieris, qui ad Ripuarios

te conuertisti. Si perlustrasses veterum diplomata, profecto scisses, solos Lotharingiæ Duces appellatos Ripuarios, Palatinos verò semper Palatinos. Sed tu harum rerum incuriosus, fabulisque deditus, satis habuisti si imperitis posses imponere: ita nescio quæ hoc loco ad intentionis tuæ probationem argumenta compilas. Ecce quid nobis obijcias. *Tritos*, ais, *esse versiculos:*

Magna Moguntia, Crassa Colonia, Treuiris alma,
Atque Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio præpositus Cameræ, Pincerna Bohemus,
Hi faciunt Regem seruantes ordine legem.

Vel vt alij referunt in hunc modum.

Moguntinensis, Treuirensis, Coloniensis,
Quilibet Imperij fit Cancellarius horum;
Inde Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis,

Mar-

Marchio præpoſitus Cameræ, Pincerna Bohemus,
Hi faciunt Dominum cunctis, per ſæcula primum.

Sed non eſt operoſum has nugas diſſoluere. Quæro tantum, quando verſiculi illi, tum alia huiuſmodi ſcripta ſint? Mihi crede, Caroli Quarti ætatem non ſuperant. Iſta omnino componi cœpere, poſteaquam Electoratum Palatini inuaſerant, poſteaquam Bulla Aurea in manus venerat, poſteaquam Bauarorum ius vulgo obſoleuerat, & memoriam eius omnem tempus ſubduxerat. Sed tamen oro, atque obſecro, quid tibi vis cum illis verſiculis? Puta antiquos eſſe, puta Carolo Quarto vetuſtiores, puta denique non metri cauſâ Palatinum poſitum pro Bauaro: quia parum intererat, quemadmodum Dapifer deſcriberetur, poſteaquam Palatinatus ad Bauaros deuenerat, & promiſcuo nomine nunc Palatini, nunc Bauari nuncuparentur: Puta, inquam, hæc omnia. Non de-

ferunt

ferunt tamen Palatino Electoratum quà Palatino; sed quà Bauaro. Nec hoc est meum, sed Arnoldi Abbatis Lubecensis [a] Veteris chronographi iudicium, cuius ingens apud te quoque auctoritas. Et quid ille? *Dapiferi*, inquit, *Officium, Camerarij, Pincernæ, & Marischalci, nemo nisi Reges, Duces, vel Marchiones administrat.* Palatinus quà Palatinus, non est Rex, non Dux, non Marchio: Quomodo igitur Dapifer? quomodo Elector? quomodo primum locum inter laicos obtinet? quomodo pomum Aureum Imperatori præfert? Ista licet Palatinus vsurpet: tamen quà Palatinus non vsurpat: sed quà Bauarus. Nemo enim, vt opinor, inuenietur tam stolidus, qui dixerit, in Electorum institutione Palatinum Comitem, nullis rebus gestis elatum, & inter simplices nobiles adhuc latentem, prælatum fuisse gradu & dignitate Regi Bohemiæ Ducique Saxoniæ. Et tamen Dapifer, exinde sibi primum locum vindicauit. Quis igitur fuit tunc Dapi-

[a] Chronic. Sclauor. lib. 3. cap. 3.

Dapifer præter Bauarum, qui cæteros omnes Principes nobilitate & potentiâ antecedebat? Certè Palatinus esse non poterat, nisi vt cum summâ iniuriâ Bohemus & Saxo infra suam magnitudinem deprimerentur. Norunt probè, qui in tropicis Aulæ instituti sunt, quanta inuidia in illos desæuiat, qui sortem suam egressi, Primoribus anteponuntur. Huc etiam spectat Æneas Siluius o, cum ait: *Diximus tres Archiepiscopos in electione Imperatoris vocem habere. Sed cum his quatuor alij concurrunt ex præcipuis sæcularibus, quorum Primus est Rex Bohemiæ, Secundus Comes Palatinus Rheni, qui est vnus ex domibus Boiariæ siue Bauariæ.* Quare adijcit, *qui est vnus ex domibus Bauariæ?* nempe vt ostendat Palatinum quà Palatinum, non esse vnum ex præcipuis Germaniæ, & vt Bauarum hoc sibi munus arrogare. Vis clarius proferam testimonium? Castaldus olim apud Perusinos Vtriusque Iuris Professor, postquam in libello, quem de impera-

o In descript. German. c. 65.

peratoribus inscripsit, Palatini officia recensuit, definit in hæc verba: *Et quanquam ille tantum Comes sit; Ducatus tamen titulo insignitus est. Nam ex Ducibus Bauariæ primus habetur.* Viden' tantorum virorum de Electoratu sententiam? Viden' cui acceptum ferant? cui imputent? Arnoldus existimat Comitatus dignitatem multò inferiorem esse, quàm vt attingere possit Electoratus fastigium. Siluius verò, & Castaldus hoc amplius, Palatinum non tanquam Palatinum; sed tanquam Ducem, primum locum inter laicos Electores occupare, pomumque præferre. Sed Dux est quà Bauarus, non quà Palatinus; ergo quà Bauarus Dapifer est, Elector est. Nam quà Palatinus huc vsque assurgere non poterat.

Iam verò non curo glossema, per omnes iurisprudentium scholas iactatum ad c. Apostolicæ de sentent. & re iudicat. in 6. Non curo etiam quod Martinus Polonus vir simplicissimus, & fabulis dedi-

tus,

tus, quid Auguſtinus Triumphus, quid Speculum denique Saxonicum memoriæ prodiderint. Omnia iſta publicata ſunt, cum Palatini ad ſe Electoratum traherent. Alberto quidem Imperante liber ſextus decretalium in lucem venit. Veruntamen Ioannes Andreas anno demum MCCC. XLVIII. gloſſemata illuſtrauit. Cum autem dixit Electorem eſſe Palatinum Comitem, reſpexit ad mores ſui ſæculi, non ad id quod prius obtinuit. Ad illa initiamenta omnino non venit. Tædebat eum in originem inquirere. Quò iret Electoratus, non vnde venerat ſcire maluit; & hac prudentiâ contentus fuit, quam ſua ætas in vſum traxerat. Receſſerat ex hominum memoriâ ius Bauarorum, quod Palatini ſibi peculiariter adſcripſerant. Parumque referre putabant ſcriptores illius ætatis, vnde accepiſſent Palatini, quod videbant eis ſubmiſſum. Hoc ſatis viſum vt Palatinis Electoratum adſcriberent, quod eoſdem in poſſeſſione conſpicerent.

Quinto loco Gevvoldus allegat, Ottone Tertio Imperante Ducem Bauariæ fuisse Dapiferum. Nec tu inficias is. Sed tantum laboras, vt ostendas, mutata fuisse omnia in Ottonianâ institutione. At nos commentum illud discussimus supra. * Hezilonem Ottonis Tertij Pincernam, quem tu hoc loco Palatinis annumeras, ab illâ serie classeque remouimus. Conrardum Palatinum Frederici Primi fratrem, ex Electorum numero exclusimus. Nihil igitur est, quod hoc argumentum pluribus retractare debeam. Omnia tua tela hebetia, atque retusa sunt, grandinisq; more post crepitum soluta. Miror tantum te in vestigandâ Palatinorum origine ad Palas illas Aminiani respicere, cum hi qui familiam illam maximè ornare & illustrare voluerunt, ad tam sordida initia erubescant.

* Pagin. 129. & seque.

Pergamus ergo. Fuerunt (inquit Gevvoldus Sexto loco) Bauari Electores, quia insignia Imperij; hoc est, Crux, lancea, sce-

ptrum,

ptrum, globus, & corona, vacante Imperio custodiæ illorum mandari consueuerant. Henricus enim Sanctus ad se retraxit: Henricus Superbus in potestate habuit: Ludouicus Bauarus Guilielmo Hollandiæ Comiti, in solemnibus coronationis, pomum Aureum vt Archidapifer porrexit. Quid dicis ad hæc exempla? Vera sunt, an falsa? Vera, inquis; sed *probandum esse consilio & consuetudine factum, non casu.* Quid? ergone casu accidit, vt Henricus Sanctus insignia Imperij ad se reciperet? Quomodo casu? Nonne à morte Ottonis Tertij, ab Heriberto Coloniensi Archiepiscopo lanceam extorsit, custodiam sibi deberi causatus? Idne casui assignari potest, quod vt officij sui esse ostenderet sanctissimo viro manum iniecit ipse sanctissimus? Bella mehercule excusatio in re manifestâ ad casum confugere. An igitur Ludouicus Guilielmo Hollandiæ Comiti pomum Aureum in manus casu tradidit? Non, inquis: Sed quà Palatinus hoc fecit,

non quà Bauarus. Proba, proba quà Palatinum fecisse. Nos quà Bauarum fecisse supra ex Castaldo ostendimus, tu nihil adfers in contrarium:

Sed ad septimum Gevvoldi argumentum reuolutus, critico supercilio fidem libelli damnas, qui inscriptus est, *de modo creandi, & coronandi Imperatorem*. Quid mirum? causæ tuæ iugulum ferit. Disertis enim verbis complectitur, Bauariæ Duces fuisse Dapiferos, priusquam ad Palatinatum peruenirent. Nec dicas recentem esse, & hodie natum. A multis annis in publicum venit, & qui primus in lucem protulit, vetustum appellat. Tu tamen fidem non habes. Cur ita? quia nomen auctor suum non prodidit: deinde non tradit, vnde illud acceperit. Egregia ratiocinatio, nomen auctoris non editur: ergo vanus, falsusque est libellus. Quid tibi vis cum nomine, quod per modestiam forte suppressit quisquis ille, qui scripsit? Quot antiquorum volumina circum-

cumferuntur ſub ignoto & incerto nomine? Ipſa tamen ſcripta, nemo idcirco in controuerſiam vocat, nemo fidem derogat, nemo falſi accuſat. Atqui non addit vnde acceperit? Quid intereſt? Quid ſi famâ referente accepit? Quid ſi oculis ſuis credidit? Non fuit veteribus in more poſitum ad ſingulas periodos teſtimonium ſubijcere. Hoc eſt iuriſconſulti, *Papinianus ait, Paulus notat*, quod etiam Cicero multùm irridet in epiſtolis. Aliâ lege hiſtoria ſcribitur. Seriem rerum geſtarum eiuſmodi ſcrupuli indecorè interrumpunt, & maieſtatem eius violant. Dandum eſt aliquid vetuſtati. Alioqui multa iacebunt bona exempla, niſi antiquitatis reuerentiâ ſubleuentur.

Iam verò, quod octauo loco Gevvoldus adfert, Innocentium Quartum Pontificem Maximum, in Concilio Lugdunenſi inter Electores Imperij non recenſere Palatinum Comitem, ſed Bauariæ Ducem, vide quâ ratione coneris eludere. Ais e-

nim

nim, illâ tempestate Palatinatum Rheni cum Bauariâ fuisse coniunctum: ita vt verè dici potuerit, Bauariæ Ducem tunc temporis fuisse Electorem. Non est hoc respondere ad argumentum; sed cauillari. Putas ergo nihil interfuisse, vtrum in tam celebri Concilio Pontifex declarauerit Bauarum Electorem, an Palatinum, quia vna eademque persona & Palatinus fuit, & Bauarus? Immo sanè, plurimùm interfuit. Vna vtique persona fuit: Sed quâ Palatinus, non erat Bauarus, nec econtra. Segregati fuere tituli, segregati Principatus, & suum cuique Principatui separatum officium. Vt Bauarus Elector erat: vt Palatinus administrator Sacri Patrimonij, non Elector; duasque personas in duobus officijs idem repræsentauit. Cæterum in Concilio Lugdunensi non fuit quæstio de personâ: de officio Electoratus, eiusque subiecto quæstio fuit. Aliter respondere solemus, cum de subiecto officij quæritur, aliter cum de personâ. Si Electoratum dedicare velim singu-

ſingulari perſonæ, vtputa Ludouico, tunc parum referre putandum eſt, quo titulo faciam, vtrum Palatini, an Bauari. Quomodo ſi demonſtrare volens Ferdinandum Electorem Colonienſem, dicat aliquis, Epiſcopus Leodienſis eſt Elector. Verè hoc, & rectè ſic dicitur. Quidni? cum Ferdinandus ſit Epiſcopus Leodienſis, & ſimul, licet ex aliâ causâ, ſimul tamen ſit Elector. Tantum enim demonſtratur perſona; quocumque tandem titulo deſignaueris, ſiue hoc, ſiue illo, eadem tamen eſt illa: atque ex deſcriptione ſatis intelligitur. At verò, ſi quis non alicui ſingulari Electoratum dedicet: ſed remoto perſonæ complexu, & à contemplatione eius abſtractus, ad cauſam reſpexerit ex quâ competit; ſolœciſmus erit, ſi dixerit, (vt in eodem hæream exemplo) Epiſcopus Leodienſis eſt Elector. Quoniam non eſt Elector, vt Epiſcopus Leodienſis: ſed vt Colonienſis Archiepiſcopus. Hìc enim proprium quiddam Electoratus quæritur,

& à possessore seductum. Totus ille sermo ad rem spectat: ad personam non spectat. Non quæritur quis habeat: sed vnde; & quomodo habeatur. Quid ergo? voluitne Pontifex in Concilio Lugdunensi personas ipsas possessorum describere? Minime gentium. Quo enim bono? Quid eo opus? Nemo non nesciebat, nemo non nouerat, nemo in controuersiam vocabat. Non respexit itaque Pontifex ad personas: sed ad causam, vnde Electoratus proflueret. *Electores*, inquit, *sunt hi, Dux Bauariæ, Dux Saxoniæ, &c.* Quorsum autem hæc enumeratio, nisi vt consuleret posteritati, certumque & indubitatum redderet ad quem peruenire deberet electio, si forte Palatinatus segregaretur à Bauariâ? Quomodo id liquidum faciet, si ad Ducatum non collineet, à quo dependet Electoratus indissolubili vinculo? Locus igitur ille accipiendus est de Bauaro, quà Bauaro: alias ambigua omnia reddit Pontifex, & nos quàm ante incertiores dimittet.

Nonum, & decimum argumentum per ſilentium prætereo. Satis abundèque prouiſum eſt, ne quid eſſet, quod lædere poſſet. Quippe ex ſuperioribus conſtat, ſemper & continuò elegiſſe Bauaros: Palatinos verò nunquam.

Tranſeamus igitur ad vndecimum; hoc eſt, ad ſententiam * à Rudolpho Imperatore latam aduerſus Ottocarum Bohemiæ Regem, pro Henrico Bauaro; quam tu ægerrimè decoquis, & ad amoliendum tam graue telum, omnia calumniæ inſtrumenta, quibus forenſes rabulæ in bonam cauſam graſſari ſolent, magno ſudore impudentiſſimè congeris. Ecce quid nobis reponas: *Si vnquam,* inquis, *diploma illud in rerum naturâ fuerit, nullum dubium eſt, quin ad importunas Henrici Ducis Bauariæ preces, per ſubreptionem & obreptionem conceſſum fuerit,* Tunc igitur dubitas extare diploma? Tune Gevvoldum putas tui ſimilem hominibus imponere? Quid dico Gevvoldum? Tune Goldaſtum fucos

* Edita eſt ſupra pagina 20.

obtrudere, qui ſuiſmet manibus Monachij contrectauit, ſuiſmet oculis diligenter inſpexit, & examinauit, atque inter Imperialia reſcripta inſeruit? Quid dico Goldaſtum? Tunc Gretſerum, virum ſupra inuidiam doctiſſimum, virum candidiſſimum, virum optimum, ſanctiſſimumque falſarium exiſtimas? Vidit quoque ille, nec tantum vidit; ſed cum ante fuiſſet veſtrarum partium, ex illo ſententiam mutauit. Si tot tantique viri tantummodo aſſererent, deberes certè auctoritati cedere. Nemo eorum adeo ſibi puſillus videtur, vt non puderet illum tecum conferri. Tanta tamen nomina non curas. Quid ergo? deſideras'ne publicas tabulas? Extant, extant. Veræ ſunt, incorruptæ ſunt, ſinceræ ſunt. Accede ad nos, ſi libet, faciemus tibi ex archiuo Sereniſſimi Electoris Bauariæ autographi copiam: faciemus inſpiciendi, faciemus legendi, & deſcribendi poteſtatem. Nihil ego tibi amplius offerre poſſum: nec tu à me bonâ fide amplius deſiderare.

Remo-

Remoue itaque hunc ſcrupulum. Verba hæc tolle, *ſi vnquam in rerum naturâ fuerit.* Fuit in rerum naturâ, & adhuc extat. Quid igitur nunc? *Conceſſum eſt*, inquis, *ad importunas Henrici Bauariæ Ducis preces.* Quid ais? conceſſum eſt ad importunas preces Henrici Bauari. Quomodo id fieri poteſt? cum Imperator diſertis verbis dicat, ſe eaſdem litteras donaſſe vtrique; hoc eſt, Henrico Bauaro, & Ludouico Comiti Palatino Rheni. Indulſit ergo ad vtriuſque petitionem. Non ſolent enim Imperatores diplomata deferre, niſi petentibus. Sed perge. *Conceſſum eſt per ſubreptionem, & obreptionem.* Quid hoc eſt? De tabulis putas diſputationem eſſe? De totâ re, de veritate ambigitur. Non fuit lis inter Henricum Ducem & Ottocarum Regem, non fuit iudicium, non fuit ſententia, ſi obreptitiæ ſunt tabulæ. Teſtatur tamen Imperator ſe in iudicio pronuntiaſſe. Teſtatur Ludouicus Palatinus ipſe, ſe liti aſtitiſſe Teſtantur viri ſummâ nobili-

bilitate, summâ auctoritate, religione, & fide. Reprehende istos signatores si potes, sceleris argue, atque infama; & tunc litem non fuisse concedam. Fortè inquies, non nego litigatum cum Ottocaro, ab Imperatore pronuntiatum non nego: sed tota quæstio est de illâ exceptione; *Electoratum ratione Bauariæ eis competere ab antiquo.* Hoc est quod impugno, hoc est quod obreptitium contendo. Quid aïs? obreptitium est? Illud est fallaciæ signum. Sed quomodo hanc exceptionem conuinces obreptitiam? Vis in iudicium fallaciter obrepsisse, an in diploma? In iudicium dices? Vlterius quæro, in cuius iniuriam obreptio spectauerit? Vtrum Ludouici Palatini, an Ottocari Regis? Non potest Ludouicus Palatinus accepisse iniuriam, nisi vt semetipsum deceperit. Nemo enim alius quàm ille, cum procuratoribus Henrici Ducis hanc in iudicio proposuit exceptionem. Nulla igitur hìc obreptio est eius intuitu. Cuius ergo? Ottocari

cari Regis? Eius non intererat. Quin immo Ottocarus tunc meritò queri poterat, & aduersarios cauillationis arguere, si contendissent Electoratum Palatinatui annexum, ex quâ causâ, nullo colore, nullo prætextu obtendere ius poterat. Sed illo sæculo notissimum erat, Electoratum esse copulatum Bauariæ. Id sine calumniâ negari non poterat. Aliàs enim quâ fronte ausus fuisset Ottocarus Electoratum illum in quæstionem deducere Austriæ prætextu? Quis nesciebat Austriam à Bauariâ subtractam, recenter in Ducatum recessisse? Bonâ igitur fide actum est cum Rege. Dixerunt Bauari vti res erat, Electoratum esse Bauariæ annexum: statumque causæ in eo posuerunt, vtrum annexus esset parti Bauariæ, quæ pristinum titulum nomenque retinebat: an verò Austriæ, quæ pars Bauariæ esse desierat. Sed paullò pressius tecum agam. Obreptio nihil aliud est quàm latens, & fallax impetratio. Si latens non est, fallax tamen est, circumuentio

uentio est, non obreptio. Si latens est, fallax non est, legitima est impetratio. Omnis enim obreptio tendit in alterius iniuriam. Quod nemini nocet, obreptum non dicitur. Nihil hic actum est clam Ludouico: ergo non est illi obreptum. Nihil fallaciter actum est: ergo non est illi obreptum. Nihil contra eius voluntatem actum est: ergo non est illi obreptum. Quò igitur confugies, nisi vt dicas, hanc exceptionem irrepsisse in ipsas tabulas; hoc est, exceptionem istam non fuisse in litem deductam: in tabulas tamen sic relatam, tanquam fuisset in litem deducta. Non intelligis, cum hoc dicis, te diploma falsi accusare? Nonne disertis verbis continet, in litem venisse hanc exceptionem? Aut diploma falsi arguas, aut hoc in iudicio actum esse confitearis oportet. Falsum est diploma? Igitur optimus ille Imperator cum tot religiosissimis testibus, vel ipsi actuarij fuere falsarij. Non est, inquis, falsum diploma; sed obreptitium. Quomodo

modo obreptitium? Quod igitur mendacium continet? vbi tacendi fraude veritatem abſcondit? Niſi alterutrum horum interuenerit, non potes obreptitium dicere *m*. Nihil autem Henricus Bauariæ Dux ſubticuit quod exprimere debuerat. Quid igitur? An Rudolpho Imperatori per mendacium perſuaſit hanc exceptionem in litem deductam? Neſcis Bone Vir, profectò neſcis quid dicas. Sententia ex actis in ſcripturam redigi ſolet, non ex informatione partium concipi. Iiſdem comitijs diploma conſcriptum eſt, quibus ſententia lata fuit. Num Imperator, num tot teſtes non meminerant quid actum eſſet in iudicio? Si meminerant, fuere falſarij, qui id quod in lite actum non erat, ſcientes & prudentes actum eſſe teſtantur. Si non meminerant, quare non confugerunt ad acta? Quid multis? an clam Ludouico diploma conſcriptum eſt? an clam Ludouico impetratum? Clam facere videri Caſſius ſcribit

m d. l. 2. C. ſi contr. ius vel vtilit. publ.

Ee eum

eum, qui celauit aduersarium, neque ei denuntiauit, si modo timuit eius controuersiam, aut debuit timere. Dein Aristo putat eum quoque clam facere, qui celandi animo habet eum, quem prohibiturum se intelligeret, & id existimauit, aut existimare debet, se prohibitum iri *n.* Potest'ne Henricus Dux clam impetrasse, qui Ludouicum non tantum non celauit; sed in fidem rei gestæ testem adhibuit? Nonne Ludouicus prohibere poterat? Cur igitur non contradixit, si putauerit plus scriptum, quam actum?

n l. possidere 3. in fin. D. quod vi aut clam.

Immo, inquis, *non consensit.* Quomodo non consensit? nonne suâ manu sententiæ subscripsit? nonne suo sigillo obsignauit? Vide sis, atque excute ipsas tabulas vtrum inter signatores non numeretur. Sed videamus, quâ ratione probes Ludouicum Palatinum non consensisse. *Manifestè liquet*, inquis, *ex iuratâ illâ transactione, quæ XXIX. Maij Anno MCCLXXVII. inter prædictos fratres Henri-*

Henricum & Ludouicum de diuisione paterna hereditatis ita facta est, vt Ludouicus tanquam primogenitus Palatinatum Rheni, cum terris ad eum pertinentibus sibi pracipuum haberet: Henricus autem posideret Ducatum Bauaria. Cuius tenorem transactionis refert auctor Apologia pro iure vicariatus tempore interregni Palatino Electori competente, pagin. 47. Vbi inter catera habetur, Ludouicum impetrandis illis litteris Rudolphi minimè consensisse: sed paratum fuisse, si eo nomine à fratre Henrico conueniretur, iure & iudicio sese defendere: Cui oblationi Henricus omnino acquieuit. Vis paucis ad hæc respondeam? Transactionem illam non agnosco. Cur ita? Non est instrumentum autographum. Quid igitur? Apographum est? non est verum Apographum: quia authenticum non est, solemne non est, auctoritatem non habet. Ergo falsum? An falsum sit nescio: falsi tamen suspicione laborat. At quâ? Audebis à me id quærere, qui Germanico idio-

mate concinnatum videas? Nunquid hoc est contra receptum morem illius sæculi, quo diplomata, & contractus inter Principes latino sermone concipi, & formari consueuerant? Dicis præterea in illâ transactione factam esse diuisionem inter Ludouicum & Henricum fratres paternæ hereditatis. Nunquid hoc est manifestè falsum? Si tum primùm diuiserint paternam familiam, quì fit, quod in supradictâ sententiâ Rudolphi Cæsaris, Henricus tantum indigitetur Dux Bauariæ, Ludouicus verò Palatinus Rheni? Quomodo, oro te, conuenit, vt alter fuerit Dux Bauariæ, alter Palatinus Rheni, si non fuerit diuisa hereditas? Nonne ante diuisionem communis est tota familia, communes tituli, communes Principatus, communia territoria? Ista omnia diuisio separat, & suam cuique partem, suum cuique titulum assignat. Quod si audire Steronem velis eiusdem ætatis scriptorem, ille te erudiet quando hi fratres ad diuisionem prouocauerint.

uerint. Verba eius sunt in Annalibus *o*: *Anno MCCLV. Ludouicus & Henricus Duces Bauariæ, circa Pascha suos inter se diuidunt Principatus, & Henrico cessit nomen Ducis cum maiori parte Bauariæ: Ludouico autem cessit superior pars Bauariæ, cum Palatinatu Rheni.* Vide quàm hæc cum transactione tuâ non consentiant Dicis anno MCCLXXVII factam diuisionem per transactionem: Stero dicit hereditatem esse diuisam anno MCCLV. Quàm longo distant hæc interuallo. Quàm graui morbo instrumentum laborat. Sed hæc quanquam firma esse videam: tamen ipse mihi satisfacere non possum, nisi ex ipso quoque instrumento contumaciam tuam confodiam. Demus igitur dicis causâ, transactionem illam veram esse, & inconuulsam. Quid inde vis probare? Ludouicum Palatinum huic sententiæ non consensisse? Quid dicis non consensisse? Quid ergo fecit dum liti astitit? Dum suo ore excepit, Electoratum esse

o Edit. à Canisio.

Bauariæ annexum? Dum ſigillo ſuo tabulas comprobauit? Quid volebat? Quid moliebatur? Ludebat ſcilicet in re tam ſeriâ. Non fuit tam leuis animi, qui ſuæ ætatis habebatur prudentiſſimus Principum, & Seueri nomen acceperat, vt hìc neſciret quid ageret. Iterum quæro quid tibi velis cum illâ tranſactione? Num oſtendere Ludouicum non conſenſiſſe, vt diploma illud Henrico traderetur? Quid ad me, in id conſenſerit, necne, dum ſententiam veram & legitimam eſſe conceſſerit? Dum Bauariæ annnexum Electoratum confeſſus ſit? Veram & legitimam eſſe ſententiam apertè reuincunt verba tranſactionis. Quod ſi eſt ita: conſtat quoque Electoratum eſſe Bauariæ affixum: quia ſententia manifeſtè demonſtrat. Quid igitur volumus amplius? Sed ſi totum tranſcripſiſſes tranſactionis articulum, vnicuique facilè eſſet iudicare, quàm ad rem de quâ quærimus non attineat. Nunc verò cum quædam verba calidiſſimè omittas: quædam

autem

autem de tuo adijcias, nihil aliud ſtudes, quàm more ſolito lectoribus imponere. Tranſactionis articulus ille ſic refertur: *Item ſuper priuilegio dato nobis Henrico Duci à Rudolpho Rege Romanorum & Principibus præſentibus, ſuper electione de quâ contentio fuit inter nos Henricum & Bohemiæ Regem; profitemur quod nos Henricus non renunciamus repetitioni & reſtitutioni eiuſdem priuilegij: & quod nos Ludouicus Dux non conſenſimus eiuſmodi priuilegio, nec de noſtrâ proceſſerit voluntate: & ſuper hoc fratri noſtro, cum ab eo requiſiti fuerimus faciemus iuſtitiam.* Vides, Bone Vir, quid ibi controuertatur? controuertitur non de ſententiâ; ſed de priuilegio, quod Henricus Dux inſcio fratre impetraſſe proponitur. Multùm intereſt inter ſententiam, & priuilegium. Nihil aliud eſt priuilegium, quàm ius ſingulare. Quid autem eſt ius ſingulare? quod contra tenorem rationis, propter aliquam vtilitatem auctoritate conſtituentium introductum

fuit.

fuit. p Quomodo hæc definitio ſententiæ conuenit, per quam regulariter ius non conſtituitur, ſed dicitur? Tota quæſtio inter Henricum & Ottocarum Regem facti fuit, non iuris. Quid ibi ergo contra tenorem rationis Imperator conſtituit? Quid contra tenorem iuris introduxit? Nonne ius dixit ex allegatis & probatis? Nonne Henrico & Ludouico Electoratum adiudicauit, quia poſſeſſionem ſuam legitimè demonſtrauerant? Præterea Ludouicus Palatinus in ſententiam conſenſit: negat ſe conſenſiſſe in priuilegium. Quæſtio ergo ibi fuit de certo priuilegio: de ſententiâ Rudolphi Cæſaris quæſtio non fuit. Quo iure, obſecro, Ludouicus Henricum fratrem ab electione excludere poterat, qui iam in continuâ fuerat Electionis poſſeſſione? Nunquid Richardum & Rudolphum Imperatores elegerat? Nega hoc ſi potes, tenorem ſententiæ tibi opponam. Non poteſt proferri ſanctius teſtimonium. Vis tamen planius? Audi quid

p l ius ſingulare D de legib.

dicat

dicat Stero in Annalibus. *Anno*, inquit, *MCCLVII. Principes Regni pro eligendo Rege iamdiu habitis diuersis conuentibus, tandem definitiuum electionis diem in Octauâ Epiphaniæ statuerunt in Francofurt celebrandum. Vbi dum quidam conuenissent, Moguntinus & Coloniensis Archiepiscopus, & Ludouicus Comes Palatinus Rheni, & frater suus Dominus Henricus Dux Bauariæ, in Richardum fratrem Regis Angliæ conuenerunt, & electus ab ipsis in die Ascensionis Domini apud Aquisgranum in Regem vngitur, & potenter in regni solio collocatur. Dominus autem Treuirensis Episcopus consentire nolens electioni prædictæ, litteris fretus & auctoritate Regis Bohemiæ, Ducis Saxoniæ, & Marchionum de Brandeburg, elegit Dominum Alphonsum Regem Hispaniæ.* Audi denique quid dicat Eberhardus Steronis continuator & coætaneus: *Anno Domini MCCLXXIII. mortuo Richardo Romanorum Rege, Principes electores circa Octauam Sancti Michaelis, ad*

eligendum alium Regem in Francofurt conuenerunt, & dum omnes qui vocandi erant interessent, præter Henricum Ducem Bauariæ, qui & solemnes miserat nuncios, & per ratihabitionem suum eidem Electioni præbuit assensum, electus est Rudolphus Comes de Habspurg in Romanum Regem, postea in Imperatorem consecrandus. Nonne hæc ad verbum conueniunt cum supradictâ sententiâ? Sed obserua diligenter quod ait Eberhardus? *dum omnes qui vocandi erant interessent præter Henricum Ducem Bauariæ.* Si Henricus Dux vocandus erat, Electorem sanè fuisse necesse est. Quod si ita est: quis dubitat Ludouicum Palatinum hanc illi prærogatiuam nec voluisse, nec potuisse eripere? Et proinde eo nomine nullam amplius controuersiam motam in supradictâ transactione? Iterum dico, me nec veram esse transactionem concedere: & si ponamus veram esse, tamen ad sententiam Rudolphi Cæsaris trahi non posse. Cur ita? Quia disertis verbis, nec

semel

ſemel priuilegij meminit, ſententiæ verò nuſquam. Sed quod illud fuit priuilegium? Extat libellus contra illum Apologeticum pro iure vicariatus, quem tu paullo ante allegaſti. Nam vt ſcias, tota illa Apologia ad verbum refutata eſt, ex quâ tu officinâ omnia tua arma tranſumpſiſti, quibus Gevvoldum moliris conficere. Auctor illius libelli, quiſquis fuit, priuilegium hoc in lucem protraxit, & palam fecit. Cum conueniſſet, inquit, inter Ludouicum Palatinum & Henricum Ducem, vt Henrico ſuperſtite communis eſſet electoratus, eoque defuncto rediret totus ad Ludouici liberos, Henricus Dux poſtea in comitijs Auguſtanis priuilegium quoddam impetrauit, vt ad eius quoque liberos deueniret electio. Habuit enim Henricus tres filios, Ottonem Ludouicum & Stephanum, quem tu orbum deceſſiſſe falsò aſſeueras. Nec miror te id ignorare, qui de brodio iuris, vt aiunt, tantummodo ſollicitus, cognitionem hiſtoriæ vi-

deris effugere. Hoc eſt ergo illud priuilegium de quo quæritur in ſupradictâ tranſactione. In hoc Ludouicus non conſenſit. Et meritò. Obreptum enim fuit Imperatori. Quippe clam aduerſario contra legem pacti conuenti impetratum fuerat, & in alterius iniuriam concedi non poterat. Huc etiam forte ſpectat, quod Auentinus tradidit q: *Patrueles eius Otto & Stephanus bellum Ludouico, niſi contentus Palatini Regis cognomine titulum Boiariæ nomini ſuo poſthac deſiſtat, indicunt. Qui vbi hæc accepit in Boiariam ſe confert: cuius aduentu territi aduerſarij ſunt. Nepotibus reſpondet, Principatuum atque regionum diuiſionem, non tamen dignitatis factam eſſe.* Quorſum enim iuuenibus iſtis aduerſus ſenem tanta contentio? An propter cognomen Ducis? Tanti'ne igitur exiſtimabant Ludouicum non vocari Ducem Bauariæ, vt ex eâ cauſâ in bellum erumperent? cognato ſanguine manus cruentarent? per ſtragem generis humani ſuum titulum ex alieno

q Annal. Boic. lib. 7.

alieno nomine deletum irent? Quid aliàs eis ad magnitudinem deerat? Nonne eodem titulo in commune fruebantur? Aliquid aliud profectò suberat. Electoratus erat, qui petebatur, quem sine cognomine Ducis Ludouicus Palatinus, ad exemplum Austriæ, retinere non poterat. Vtcumq; autem hæc se habeant, in transactione illâ de vi pacti & priuilegij controuerti potuit: Vtrum autem Electoratus esset Bauariæ annexus controuerti non potuit, quod Ludouicus palam agnouerat. Vis ergo nunc scire quare Otto & Stephanus Bauariæ Duces, ab Electoratu exclusi sint? Nam id alibi videris quærere. Remoto priuilegio pactum præualuit. Secundum legem conuentionis Henricus tantum eligere poterat: liberi eius non poterant. Hinc Rudolphus & Ludouicus Lodouici Seueri filij, cum Ottone & Stephano diu rixati, Electoratum tenuere: communicatisque suffragijs Henricus Septimus ab vtroque electus est. Id quidem tu negas. Ego ta-

tamen in probationem diploma exhibui.
Supra pagin. 42.
Sed tu diploma illud ad rem non pertinere contendis? Cur ita? *Quia*, inquis, *coniuratio est*. Quid ad me, sit coniuratio, dum vel ex eâ constet, Ludouicum Bauarum fuisse Electorem. Non volo hoc loco ostendere iustam vel iniustam fuisse conuentionem. Hoc volo, Ludouicum Bauarum Electorem fuisse. Et hunc tu inter Electores non recipis, quem Rudolphus frater solemnibus tabulis Coëlectorem agnoscit?

Nunquam, inquis, *penes Bauaros fuit ius eligendi Imperatores, ne penes Ludouicum quidem. Quia post mortem Henrici Septimi cum quæreretur de successore, Rudolphus Palatinus solus ad comitia processit, officium Electoris solus peregit, excluso fratre Ludouico, & admodum offenso, quod alium potius quàm se elegisset.* Sed quid hoc exemplum ad rem pertinet? Scimus Ludouicum Bauarum ad comitia illa non accessisse, nisi postquam accersitus esset ad capescendum

Impe-

Imperium. Rudolphum Palatinum tunc ſolum elegiſſe ſcimus quoque. Sed quæris, quare ſolus elegerit? Cur Ludouicus Bauarus ad hæc comitia acceſſum non habuit? Cur nullæ eius partes in electione fuerint? Suo ſe pacto ab electione excluſerat. Si ius ſpectes, ad comitia ire poterat, & ferre ſuffragium: Elector erat. Si pactum conuentum, ire & ſuffragari non poterat: ſubmouebatur enim ad tempus ope exceptionis. Hoc eſt illud pactum, quod duodecimo loco vobis Gevvoldus obiecit. Quale fuerit diploma oſtendit, quod ſupra exhibui. * Summa eius eſt, vt electionis ius totâ vitâ Rudolpho cederet: poſt eius mortem perueniret ad Ludouicum Bauarum: vtroque defuncto ex alterutrius liberis ſenior eligeret. Hoc pactum à te negari non video. Nam ad tabulas pacti nihil aliud reſpondes, quàm, *Principes omnes vnius & eiuſdem Electoralis familiæ habuiſſe olim ius ſuffragij in electione. Bullam tamen Au-*

* Pagin. 46.

ream

ream huic incommodo occurisse. Sed quid ais? Habuerunt omnes eiusdem Electoralis familiæ Principes ante Bullam Auream ius eligendi? Erant ergo omnes Electores. Quippe non Elector esse non potest, qui suo iure suffragium habet. Habemus igitur quod quærimus, Ludouicum Bauarum fuisse Electorem. Bullam enim Auream antecessit, & Princeps fuit Electoralis familiæ. Quare autem paullo ante negasti Electorem fuisse, quod hìc apertè confiteris? Annon sunt hæc contraria, omnes eiusdem familiæ Electoralis Principes fuisse Electores, & Ludouicum Bauarum non fuisse Electorem? Non te pudet inter se pugnantia asseueranter promere? Expergiscere tandem, & cogita, te causam apud viros dicere: ista deliramenta tam manifesta sunt, vt ne puerorum quidem aciem effugiant. *Sed Carolus Quartus*, inquis, *huic occurrit incommodo in Bullâ Aureâ.* Melius sileres de Carolo Quarto cum suâ Bullâ. Scimus, scimus

quid voluerit, & nos hoc ſcire, iam ſciunt omnes. Nihil minus in animo habuit, quàm hoc incommodum. Quid enim? Iræ ſuæ litare ſtuduit. Contra ius, contra fas, contra leges & conſuetudines, ac maiorum mores, conatus eſt Electoratum deferre Palatinis quos flagrantiſſimè amabat, vt Bauaris eriperet quos hoſtiliter oderat. Hoc eſt quod voluit, huc reſpexit & collimauit; quomodo eò perueniret omnia in vnum conſilia contulit.

Sed redeamus ad rem noſtram. Occurrit ecce Papienſis tranſactio, * quam decimo quarto loco vobis Gevvoldus obiecit. Hanc quoque magno molimine laboras eneruare. Sed difficulter loco ſuo mouetur veritas. Calumnia verò, ſicuti fundamentum non habet; ita facilè cedit & euertitur. In hac autem tranſactione placuerat, Ludouici Imperatoris fratriſque eius liberos alternatim eligere. Adiecta eſt pœnalis clauſula, vt ſuo iure caderent, qui venirent contra conuentionem. Quid

* Extat. ſupra pagin. 52.

ad iſta nobis reſpondes? Fidem diplomatis non conuellis, non negas tenorem tranſactionis. Quid igitur? Dicis non valere tranſactionem cum pupillis initam ſine auctoritate. Dicis non valere potentiâ extortam. Dicis derogare iuri publico. Dicis denique nullum prorſus habuiſſe effectum, quod Bulla Aurea totam vim eius infregerit: quod Ludouicus Cæſar ab eâ receſſerit ſuâ voluntate. Hæc quidem ingenti fiduciâ aceruatim iactantur. Non deeſt tamen quod reponam.

Primùm aduerſus illud, quod ais, non valere quod cum pupillis actum eſt ſine auctore. Sit ita, non valeat, quod ſine auctore pupilli contrahunt. Nego autem Rudolphi Palatini filios pupillos fuiſſe eâ tempeſtate. Debebas hoc ante omnia perſpicuum reddere, vt argumento locum faceres. Tibi enim non credimus, & miramur ſtultitiam tuam, quod in hanc arenam deſcenderis ſine probatione. Potes pupillos fuiſſe oſtendere, necne? Si non

potes,

potes, euidens calumnia eſt, ſine indicijs id inſimulare, quod probare neſcias. Si potes, quare non facis? An ignoras, ſecundum iuris regulam probationem ei incumbere, qui dicit *r*, & alterius ætatem infirmat *s*? Nunquid præſumptio eſt pro contractu, donec illegitimus eſſe probetur? *t* Dicis tranſactum eſſe cum pupillis. Quaſi verò ignorauerit Ludouicus Imperator, qui iuriſprudentiæ operam Viennæ dederat, qui ſapientiſſimos viros in conſilio habuit, non valere quod cum pupillis contraheretur ſine auctoritate. Et tamen vis cum pupillis contraxiſſe. Quid hoc eſt aliud quàm vafrum, fraudulentum, & nequiſſimum facere, quem virum optimum, ſanctiſſimumque Imperatorem fuiſſe teſtaris? Quo argumento contendis pupillos fuiſſe? Ætatem eorum expende: annorum numerum ad calculum reuoca: profer qualiacumque indicia, ſi quæ habes, vt ſub colore aliquo deliteſcere, & manifeſtam tuam calumniam adumbrare

r l. 2. D. de probat.

s l. cum te 9. C. eod.

t l. 25. D. de probat.

videaris. Habuerunt'ne legitimos tutores? habuerunt'ne datiuos? Nomina eos si habuerint. Neque enim verisimile est, pupillos sine tutoribus relictos, qui cum Imperatore sanguine proximo in gratiam redierant: qui paterna bona; hoc est, opulentissimam hereditatem beneficio eius fisco detraxerant. Quid dices si adultos, si maiorennes fuisse conuincam? Possem equidem bono iure, & periculo, hoc verbo contentus esse, *Nego.* Malo tamen tricas omnes tuas euoluere: ne quis, vel ideo tantum veras putet, quia obiectæ sunt. Dicis cum pupillis contractum. Qui potest? Nonne hæc transactio Papiæ in Italiâ conuenit? Ita quidem. Quid postea? Nonne Ludouicus Imperator in Italiam proficiscens Rudolpho Palatino Rheni ex fratre nepoti, Monachium & Boiariam primam, suosque impuberes filios tuendos commisit? Disertis hoc verbis Auentinus asseruit *u.* Quomodo igitur Rudolphum illum impuberem potes

u Lib. 7 Annal. Boico.

dicere?

dicere? Ergone Ludouicus Imperator Bauariæ habenas pupillo credidit? Liberos suos impuberes pupillo mandauit? Credat hoc quispiam potuisse fieri? Iam verò, Rupertus & Adolphus Rudolfi fratres, nunquid Ludouicum patruum armati secuti sunt in Italiam? Egregiè scilicet pupillos facis, qui iam arma portare, in expeditionem ire, hostem inuadere, & ferire poterant. Quid? Imperator optimus, alienos pupillos in aciem duxit, qui suos domi sub tutelâ reliquerat? Annon hæc sunt clarissima indicia maiorennis ætatis? Vis plura? Dic mihi, nonne Anno MCCLXXVIII. Rudolphus Ludouici Cæsaris frater Machtildem Adolphi Imperatoris filiam vxorem duxit? Anno autem MCCCXXXVIII. transactio facta est. Ergo post quinquagesimum à nuptijs annum. Quomodo autem pupilli esse potuerunt, nisi euincas, natu minimum in lucem editum post trigesimum nonum annum paternarum nuptiarum? Amplius

dicam. Anno Imperij sui decimo quarto Ludouicus cum nepotibus suis de Electoratu transegit. Anno Imperij eius primo, nepotes ipsi proiectum patrem in Angliam comitati sunt. Maiores igitur erant quatuordecim annis tempore transactionis. Infantiam enim egressos oportuit, cum simul in exilium traherentur à profugo patre. Aliàs enim infra pueritiam positi, matrem secuti fuissent in Austriam, non patrem trans Oceanum. Quod si puberes fuerint, nihil aliud exigimus. Non possunt enim irritare transactionem sacramento sancitam. auth. sacramenta puberum C. si aduers. vendi. Sed quid opus tot verba congerere in re clarissimâ? Satis ipse quoque vides frigere hoc pupillare argumentum, & ideo ad potentiam confugis.

Non valet, inquis, transactio, quæ per potentiam extorta est x. Bene hoc, & verè. Sed hæc transactio quemadmodum per potentiam extorta fuit? An quia cum Impe-

x l. vlti. C. de his quæ vi metusue caus. gest. sunt.

Imperatore contracta? Si id putas, toto aberras cælo, & ius ignoras in quo versaris. Quid hoc est aliud, quàm rerum omnium commercium Imperatori eripere? Ipsum alijs legitimè obligari, neminem sibi obligatum habere posse? I nunc Bone Imperator, cum vicino tuo de finibus transige; non valebit tamen quidquid feceris. Quia non transegisti; sed extorsisti. Potentiam tuam vicinus extimuit. Vides quàm hæc sint absurda? Crede mihi, non sunt nulla, quæ cum potentioribus contrahuntur. Nullam enim dignitatem alicui ad iniuriam nocere oportet. z Quid ergo? quæ per potentiam extorquentur sunt nulla. Iam verò, quid est per potentiam extorquere? Si vera glossographi sententia est. a, per potentiam extorquere dicitur, qui in officio constitutus, vel metum infert, vel impressionem facit. Alterutrum horum videtur exigere, vt quid per potentiam dicatur extortum. Plurimùm interest inter impressionem & metum,

z l. ad inuidiam 6. C. eod.

a ad d. l. vltim.

tum, magnoque inter se discrimine dissident. Per impressionem facere, est terrore officij adhibito aliquem concutere *b*. Quidquid per impressionem fit, metu fit. Sed cum dicimus aliquid metu factum, tunc separamus metum ab impressione. Illud enim in metu quærimus, vtrum terror mortis, vel cruciatus corporis, aut capitales minæ intercesserint *c*. Et hoc duntaxat metu factum dicimus, quod aliquâ eiusmodi concussione exprimitur. Quippe facti atrocitatem metus desiderat. *d* Quid Ludouicus Imperator atrociter egit? quam impressionem adhibuit vt perueniret ad hanc transactionem? Exhibe nobis ex historijs aliquod testimonium, vel si testimonium non habes, indicium aut vestigium exhibe. Exhibe, inquam exhibe, tibi enim incumbit probatio. Quid hoc rei est? Palatinos Comites Ludouicus concussit? Imperator Principes? Dominus subditos? patruus nepotes? Qui expulsâ alieni cupiditate clementissimus fuit,

b Cuiac. in not. ad l. pen. ult. C. eod.

c l. si donationis C eod.

d l. metum 7. C. eod.

fuit, Palatinos fraudauit? Eſt hoc auribus animiſque abſurdum: eſt incredibile. Etiam atque etiam vide,quàm bonâ fide geſſerit omnia! quàm facilem, quàm humanum, officioſum, & benignum, & mitem, atque liberalem ſuis ſe nepotibus præbuerit. Nonne quidquid Rudolphus Palatinus in Germaniâ poſſederat, in cauſam commiſſi per feloniam inciderat? Et quis vnquam dubitauit, quin meritò expulſus, boniſque exutus fuerit, qui in contrarijs caſtris ſteterat? Qui in Cæſarem & Dominum arma tulerat? Qui regnare eum pati non poterat; cum quo in ijſdem penatibus educatus, ſub eâdem poteſtate conſtitutus, eodem lacte nutritus, in eodem denique vtero, ex eodem ſanguine coagulatus iacuerat? Quid? quem ſine ſcelere odiſſe, ſine flagitio deſerere, ſine parricidio violare non poterat, nunquid in exitium eius armatos coegit? nunquid in latere eius mucronem ſuum abſcondere, animam ſcrutari, & per ipſa vulnera ex-

pellere voluerat? Et quorsum hæc omnia? Pro alieno Imperio; ne minor natu supra maiorem assurgeret. Veruntamen Ludouicus, fraternâ morte auditâ, O incredibilem animi mansuetudinem! O admirabilem clementiam! O dignum facinus, quod sæculis tradatur, & in exemplum veniat! auditâ, inquam, fraternâ morte, vltro ad se accersiuit eius liberos, in gratiam & amicitiam recepit, paterna bona exclusis restituit. Vnum duntaxat Electoratum excepit, quem filijs suis statuerat peculiarem relinquere. Sed quid? cum per multos annos nepotes frustra supplicassent: cum pro his Fredericus & Leopoldus Austriaci intercederent, & precarentur: cum promissum tandem, ac sæpe dilatum, vt aliquando fieret, instarent, communem rursus Electoratum fecit. Et hæc est illa Papiensis transactio; si tamen transactio est. Sed nolo hic de nomine controuersiam facere, & disputare de verbis. Sit transactio, sit quodcumque velis; non est tamen

tamen per potentiam extorta. Quid? hoccine eſt metum inferre, hoccine eſt impreſſionem facere, ſupplicibus liberis reſtituere quod ſuo crimine pater amiſerat? Qui per potentiam extorquet, compellit aduerſarium, vt aliquid det vel faciat. Fraternos liberos Ludouicus compulit? Eſt'ne hoc compellere, rogatum facere? precibus flexum in contractum deſcendere? Eſt'ne hoc compellere, de iure ſuo aliquid remittere, & quod totum retinere iuſtè poterat, partiri cum aduerſarijs? Non eſt profectò, non eſt compellere; ſed liberalitatem animi expromere. Dic ergo iam, quid extorſerit? Non quæro vtrum per metum, an per impreſſionem, iuſtè an iniuſtè, hoc tantum quæro quid extorſerit. Partem Electoratus? Sed Electoratus communis erat illi cum fratre ante feloniam. Iuſtè igitur partem retinuit. Suam tantum portionem ſibi reſeruauit. Proinde nihil nepotibus ademit. Omne quod fiſcus fratri abſtulerat, filijs reſtituit. Quàm

ergò iniuriam fecit? quæ spolia inuitis detraxit? quas exuuias sibi applicuit? Annon solidum eis reddidit, quod ex paternâ successione sperare potuerant? Omnes eiusdem familiæ Electoralis Principes ius eligendi ante Bullam Auream habuisse confessus es. Et est ita. Quid hoc est aliud, nisi communem fuisse Electoratum ipso iure Principibus omnibus eiusdem familiæ? Vt iterum quærere liceat, quid nepotibus suis Ludouicus extorserit, quibus nihil abesse vides, quod ante feloniam pater habuit. Communis erat Electoratus inter Rudolphum & Ludouicum fratres; tam ipso iure, quàm pacto conuento. Communis rursus factus est per transactionem. Cur igitur aduersus transactionem tantopere insurgis? cur iniquitatis & fraudationis incusas? An quod electionem alternatim deferat, quæ secundum leges anterioris conuentionis ad seniorem alterutrius familiæ spectare debuerat? Sed hoc incertum æquâ conditione sublatum,

com-

communionem non tollit, læsionem non infert *e*. Veruntamen ne in hoc quidem argumento satis fiduciæ videris ponere.

e l. 1. C. de pact.

Pergis enim, & ais: *Pactis priuatorum iuri publico non derogatur.* Nescio autem quid velis tibi cum istâ cauillatione. Iterum dico: superiori loco apertè confessus es, ante Bullam Auream eligendi ius promiscuum fuisse Principibus omnibus eiusdem familiæ. Huic autem iuri transactio non derogat. Nihil igitur contra ius molitur, aut tentat. Sed leges ipsas ambit, & sequitur, atque ad publicos mores se componit. Quippe spargit ius electionis inter Principes eiusdem familiæ, & quod per feloniam Rudolphi Palatini Comitis commune esse desierat, liberis eius rursus communicat. Da mihi aliquod ius publicum, cum quo confligat, aut collidatur. Da mihi legem aliquam, cuius vim conuellat atque infringat. Dices Bullam Auream? Atqui hæc est nata post transactionem. Transactio

 ergo

ergo non impingit in Bullam Auream: Sed Bulla Aurea impingit in transactionem.

Et ideo mox ad Bullam Auream, tanquam ad tutissimum asylum conuolasti. Dicis hac lege publicâ sublatas esse vires transactionis. Hunc nodum, quasi Gordium, inextricabilem putas, nec sine ferro posse dissolui. Sed non est necesse veniamus ad gladium. Tricas illas facilè dissoluam. Audiamus quid dicat Bulla Aurea. Eius hæc sunt verba f. *Ne inter eorundem Principum sæcularium Electorum filios, super iure, voce, & potestate præfatâ futuris temporibus, scandalorum & dissensionum materia possit suscitari, & sic bonum publicum periculosis dilationibus impediri, futuris auctore Deo. cupientes periculis salubriter obuiare: statuimus, & præsenti lege perpetuis temporibus valiturâ decernimus, vt postquam ijdem Electores Principes sæculares & eorum quilibet esse desierit, ius, vox, & potestas Electionis huiusmodi ad filium suum primo-*

f Cap. VII.

primogenitum legitimum laicum: illo verò non extante ad eiuſdem primogeniti primogenitum, ſimiliter laicum, liberè & ſine contradictione cuiuſpiam deuoluatur. Defert, vt vides, Bulla Aurea Electoratum in futurum ad ſolum primogenitum, & qui prius diuiduus erat, indiuiduum facit. Ergo ſi ad vnum aliquem Principem ſpectauerit, qui plures reliquerit liberos, non habebunt amplius partem ſecundogeniti in Electoratu: ſed totus perueniet ad primogenitum. Sed tamen quid ſi iam diuiſus erat? non impugnat illam diuiſionem. Non eripit ſecundogenito, vel ex eo natis ſuam partem, vt primogenito aſſignet. Loquitur generaliter de quolibet Electore, ſiue primogenitus ſit, ſiue ſecundogenitus: ſiue ex toto, ſiue ex parte Electoratum poſſideat. *Poſtquam quilibet Electorum ſæcularium eſſe deſierit*, non vult amplius diuidi ius electionis. Ratam tamen habet præteritam diuiſionem. Ius ſuum cuique relinquit, partem ſuam ne-

mini aufert. Sed in id ius quod quisque habet, non vult nisi primogenitum succedere, ne inter illos oriatur dissensio, & scandalum propter electionem. Causa igitur cur primogenito electionem deferat, est ista, vt euitetur dissensio & scandalum. Inter Ludouici & Rudolphi fratris eius liberos, nulla amplius poterat nasci dissensio, nullum scandalum. Res quippe à transactione modum acceperat. Conuenerat, vt vtriusque lineæ successores alternatim eligerent, nunc hi, nunc illi. Hæc igitur transactio rata manet: ita tamen, vt in posterum non eligant, nisi primogeniti alterutrius lineæ. Tota enim legis intentio est in posterum prospicere, futurisque tantum negotijs formam dare: in quibus habet plenam disponendi facultatem: cum nemini suum auferat, iniuriam nemini inferat. Nam præterita negotia retractare non potest; nec in ijs, quantumuis maximè velit, quidquam statuere inuitis his quorum interest. Excedunt

cedunt enim terminos poteſtatis. Iuris regula eſt: *leges & conſtitutiones, futuris dare formam negotijs: ad facta præterita non referri, niſi nominatim & de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotijs, cautum ſit f.* Negotium de quo quærimus ſine dubio præteritum fuit. Cur ita? quia per Papienſem tranſactionem formam acceperat *g*. Hoc enim Bartolus *h* alijque *i* præteritum vocant, quod tranſactione, iuramento, ſolutione, & eiuſmodi modis finitum eſt. Ergo Bulla Aurea eò vſque progredi non potuit, vt huic negotio formam daret & Papienſem infringeret tranſactionem. Nulla enim lex porrigitur ad præterita negotia: tametſi id nominatim caueat. Cautio enim iſta ad præterita facta tantum pertinet pendente adhuc ipſo negotio: ad præterita negotia non pertinet. Quia inquiunt noſtri, finito negotio ius alteri plenè & perfectè acquiſitum eſt, quod inuito eripi nequit, ne abſolutâ quidem Principis poteſtate, niſi publica

f l. leges & conſtitutiones C de legib.

g l. leges & conſtitutiones C. de legib.

h Ad l. omnes populi D. de iuſtit. & iur.

i Cyn. ad d. l. leges & conſtitutiones Panormit. c. vlt. de conſuet. n. 93.

necessitas fortasse extorserit. Quid mirum? Inter prima iuris præcepta est neminem lædere. Immo summum ius est, neminem lædere. Quippe salus reipublicæ in eo constituta est, incolumem esse ciuium coniunctionem. Disrumpit autem humanam societatem, qui alterum spoliat. Ergo hoc est contra naturam alteri aliquid detrahere, & magis, inquit Tullius *l*, contra naturam quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera quæ aut possunt corpori accidere, aut rebus externis. Quomodo igitur Carolus Electoratum Bauaris eripuit, cum naturâ repugnante fieri nequeat? Et tamen, inquis, fecit. Quomodo? cum nec voluerit, nec potuerit? Parum est voluisse. nisi potuerit: parum est potuisse nisi voluerit. Docete autem quomodo voluerit. Contra vos habetis iuris præsumptionem. Voluntas Principis semper talis esse præsumitur, qualem ius commune postulat *m*. Nihil prorsus illi placere creditur, quod non est

l Officior. lib. 3.

m Treutl. consil. 59. n.4

cum iuſtitiâ coniunctum *n.* Docete ergo quomodo voluerit, & adferte indubitatam probationem. In Bullâ Aureâ duo ſunt capita, quæ videntur ſtare à vobis; Quintum nempe, & Septimum. In vno Palatinus Archidapifer eſſe dicitur, in altero Elector: neutro tamen, Archidapiferatus vel Electoratus Palatino confertur. Aliud eſt dicere, Archidapiferum & Electorem eſſe; aliud Archidapiferum & Electorem facere. Qui Electorem eſſe dicit, de Electoratu non diſponit; ſed iam diſpoſitum eſſe ſignificat, Qui Electorem facit, confert illi penes quem ius non erat. In ſupradicto Quinto capite Bullæ Aureæ, legiſlator dicit Palatinum eſſe Archidapiferum, vt oſtendat ſe illi hoc nomine Vicariatum deferre vacante Imperio. At verò in capite Septimo dicit eſſe Electorem, vt ſignificet ſe primogenito eius deferre ſucceſſionem. Quippe in altero horum locorum tantum diſponit de Vicariatu: in altero duntaxat de Electoratus ſucceſſione.

n Treutl. loc. cit. n 14.

Ergo hoc ipſum, quod dicit Archidapiferum eſſe & Electorem, mera eſt poſitio, cui innititur ipſa diſpoſitio: ſiue, vt aiunt noſtri, mera ſunt verba narratiua, quæ per ſe non ſtant; ſed propter aliud proferuntur, nullumque planè ius conferunt; ſed tantum ponunt, ita rem ſe habere vt dicitur. Ideoque ſi de narrato poſtea principaliter controuertatur, fidem non faciunt vt ſupra oſtendi *, nec coniunctam habent diſponentis voluntatem, qui nihil aliud voluiſſe intelligitur, quàm id, de quo principaliter diſpoſuit.

* Pagin. 93.

Quemadmodum autem dicemus Electoratum Bauaris voluiſſe adimere? Cum Bulla Aurea capite *XIII.* diſertis verbis conſtituat: *Vniuerſa priuilegia, & litteræ quibuſcumque perſonis, cuiuſcumque ſtatus, præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant, vel à nobis, vel prædeceſſoribus noſtris Romanorum Imperatoribus & Regibus, ſub quibuſcumque verborum tenoribus conceſſa vel conceſſæ, non debent, aut poſſunt libertatibus, iuriſdictioni-*

bus.

bus, iuribus, honoribus, & dominijs Principum Electorum Sacri Romani Imperij Ecclesiasticorum vel sæcularium, aut alicuius ipsorum, in aliquo penitus derogare: Et si in aliquo derogent, reuocata & cassata, reuocata, & cassata censeri debent. Nunquid Stephanus Bauariæ Dux Ludouici Imperatoris filius, fuit Elector? Fuisse Electorem liquidò ostendimus. Ergo Bulla Aurea iuri eius non derogat. Ne dicas, Carolum Quartum non habuisse Bauarum pro Electore, neque de eo cogitasse. Non curo, quid ille cogitauerit, opinione suâ deceptus fuit. Satis est, se verâ fuisse Electorem, vt hoc priuilegio comprehensum dicamus, quod Electoribus omnibus generaliter, sine personarum contemplatione indultum est.

Sed iam demus, Carolum Quartum ius suum Bauaris voluisse adimere per Bullam Auream: certum est tamen, non potuisse sine iustâ, & publicâ causâ. Et hoc

 est

eſt decimum quartum argumentum quod à Gevvoldo vobis obijcitur.

Aduerſus hoc quid reſpondes? *Verum eſt*, ais, *ne ſummum quidem Principem alicui ius ſuum ſine causâ auferre poſſe. Sed Bauariæ Duces demonſtrare non poſſe, ſe ius illud electionis ante conditam Auream Bullam ratione Ducatus habuiſſe.* Itaque conuenit inter nos, tantum non licere Principi, vt rem ſuam poſſit eripere inuito domino ſine causâ. Atqui ego Electoratum ſpectaſſe ad Bauaros planum & perſpicuum feci. Ab origine ſuâ Bauariæ annexum liquidò demonſtraui. Per Bullam Auream ereptum iri Bauaris in confeſſo eſt. Et tu iuſtam ac publicam cauſam nullam allegas, nullam inuenis. Quid igitur reſtat, niſi vt fatearis, velis nolis, feciſſe Carolum Quartum quod nec facere debuit, nec potuit? Et proinde ſublata eſt tota quæſtio, magiſque indignandum hac de re, quàm diſputandum eſt.

Atenim addis, *Carolum Quartum ſuggullari*

gullari non posse, quasi in Bullà Aureà promulgandà plus odio & amicitiæ, quàm iuri & æquitati tribuisset. Notam eius esse pietatem, notam iustitiam, notam æquanimitatem. Sed quorſum hæc pertinent? vt ſciamus, inquies, feciſſe rectè & legitimè omnia. Haberes forte quod in his tibi applauderes, ſi talem fuiſſe Principem poſſes oſtendere, qualem repræſentas. Sed de Carolo Quarto quid dicam? Bonum fuiſſe Imperatorem? Quomodo hoc poſſumus dicere? cum Maximilianus Cæſar eius nominis Primus, appellauerit perniciosiſſimum? Ne me putes in eum inuehi & ſine ſcripto loqui, commentator ad Ligurinum mores eius in publicum traxit, ſuis illum coloribus adumbrauit. Cæterùm cum Bullam Auream condidit, Bauaros, vt fateris, hoſtiliter oderat, bellumque eis acerrimum indixerat. Cum Palatinis, vt fateris, amicitiam affinitatemque contraxerat. Quippe Rudolphi Palatini Comitis filiam vxorem duxerat. Veruntamen,

men, inquis, nihil odio detulit, amicitiæ & affinitati nihil indulsit. Quid? tu'ne putas suis hìc cupiditatibus imperasse, iram refrænasse, seipsum vicisse, qui semper id egit, vt omnia potius haberet in potestate quàm affectus? Vis scire quàm Pius fuerit? Specta quomodo peruenerit ad Imperium. Non accepit illud, sed rapuit. Vt rapere posset, perfidus esse sustinuit. Quod autem rapuit, seruire coegit, & perdidit. Vis scire quàm iustus fuerit? Specta quomodo Imperium administrauerit. Cuius tota cogitatio à publicis commodis longissimè auersa, Bohemiæ suæ bonum tantummodo curauit. Et hoc de illo quoque Maximilianus Cæsar verissimè confessus est. Quot diplomata perperam dedisse putandum est, si idem Maximilianus nullum planè ratum habuit, quod pater eius Fredericus Imperator non approbasset? Vis scire quàm æquanimus fuerit? Specta quomodo processerit in hoc negotio. Non est opus pluribus.

ribus.

ribus verbis, totam scenam supra aperui. Quid ergo ad rem, si Bulla Aurea, vt ais, assistentibus Electoribus, cæterisque Principibus lata sit? cum sciamus eis obreptum? Quid ergo ad rem, si Carolus Cæsar, vt ais, Imperialibus infulis insignitus, & diademate decoratus, pragmaticam illam sanctionem pro tribunali publicauerit? cum sciamus hunc ornatum, hæc decora vindictæ cupiditatem abscondere, non tollere. Quid ergo ad rem, si Ludouicus Romanus Ludouici Cæsaris filius confessus sit, vt ais, Electoratum esse Palatinatui annexum? cum sciamus coactum fuisse Carolo Quarto morem gerere, vt Marchionatus sui Brandeburgici inuestituram acciperet; vt auxilio eius possessionem recuperaret, vnde à Pseudovvaldémaro pistoris filio, subornato à Carolo Quarto, viribusque eius instructo expulsus fuerat. Quid ergo ad rem, si Bulla Aurea, vt ais, Electoratum Palatinis adscripserit? cum sciamus, nec iustè, nec legitimè factum, irrita & nulla hæc esse omnia.

Redeamus igitur ad nostram transactionem, à quâ nouissimè Ludouicum Imperatorem suâ sponte recessisse contendis, cum Imperio vacante Vicariatum Palatinis ex consuetudine debitum publicè edixit, Sed nos edictum illud falsum esse conuicimus supra. Nec est, quod inde tibi patrocinium quæras. Nihil enim habet Electoratus commune cum Vicariatu. Separata sunt officia, & prorsus distincta. Comprobatum est exemplis, non vnum semper, & eundem habuisse possessorem. Et si cum Archidapiferatu copulatum fuisse concedamus, potuit Ludouicus Imperator ab Archidapiferatu diuellere, & Palatinis proprium facere: ita tamen, vt Archidapiferatus cum Electoratu maneret communis. Non sunt hæc coniugata naturâ suâ: sed Imperatoriâ auctoritate connexa. Eiusdem autem potestatis est separare, quæ coniunxerat.

Sequitur argumentum decimumquintum, in quo vobis opponitur, duorum iuris-

iuriſconſultorum auctoritas, qui conſulti ante annos amplius octoginta, cum hæc controuerſia inter Guilielmum Bauariæ Ducem, & Palatinum Comitem acerrimè agitaretur, pro Bauaris reſpondere. Et qui illi? Fabius Arces à Neruia Romanus, & Nicolaus Eurardus Friſius, viri eruditione ſcriptiſque clariſſimi. Non mentiar, ſi Phœnices fuiſſe dixero ſui ſæculi. Non mentiar quoque, ſi viros optimos fuiſſe aſſeuerauero: vt ſcias, maturo ſinceroque iudicio conceſſiſſe in has partes. Tu tamen dicis: *non eſſe nouum, vt qui circa cauſas verſantur, vel opinionis errore decepti, vel minus rectè informati, aut etiam ſpe pramij allecti, interdum etiam improbè patrocinentur.* Ita quidem non eſt nouum, apud malos, qui habent, vt ait Salluſtius, loquentiæ multùm, ſapientiæ parum. Hoc tamen eſſet nouum, boni viri cum fuerint, gratiæ aliquid muneribuſque conceſſiſſe. In bonum virum non cadit improbitas. E numero bonorum improbus ex-

pungitur. Qui vnum habet vitium, habet omnia. Malos ergo fuiſſe neceſſe eſt, ſi venalem ſtilum linguamque habuerint: ſi mercede polluerint ſanctiſſimam artem. Malus tamen nemo præſumitur. Ideoque ſi malos viros fuiſſe velis, vel perperam inſtructos, oſtendere debes, & tunc improbitatis, vel erroris accuſare.

Fruſtra verò nobis hoc loco obijcis, quod Iuſtinianus in Nouella ſuâ conſtitutione LIV. conqueſtus eſt: *In quadam harum conſtitutionum nihil obſcuritatis habente, motas eſſe quæſtiones ab aliquibus, ex ſtudio, & ad ſuam intentionem obſcuritatem ei introducentibus.* Non diſputamus hìc, Bone Vir, de obſcuritate legis: ſed de conſtituentium voluntate & poteſtate. In confeſso eſt, Bullam Auream Palatinis Electoratum adſcribere. Quærimus, an legiſlator hoc voluerit, an potuerit. Oſtendi noluiſse, oſtendi non potuiſse.

Cur ergo, inquis, Bauari tam diu ſiluerunt? cur de Bulla Aurea ſtatim ab initio

tio non ſunt conqueſti? Nonne læſos ſe proponere, legumque auxilium implorare poterant? Huic obiectioni decimum ſextum argumentum tacitè occurrit. Coacti ſunt Bauari, inquit Gevvoldus, tempori cedere, & locum iniuriæ facere. Quis eſt qui neſciat, Carolum Quartum erepturum fuiſſe faſtigium Ludouico Bauaro, quod pactione ſeruitutis improbè redemerat, ſi explicandi ſceleris habuiſset inſtrumenta, tantumque potuiſset, quantum voluerat? Quis etiam neſcit, liberos eius hoſtiliter odiſse, quia cupiditatibus eius aliquando obſtiterant, & violentum illud auerſabantur Imperium? Quod ius, quod æquum ſperare Bauari ab illo poterant, qui in iugulum eorum intentus, magno ſtrepitu bellum inſtruxerat? Eò perducta res erat, vt referre nihil poſsent, præter repulſam & contumeliam.

Fuit, inquis, *Ludouicus Cæſar tam præclaris virtutibus ornatus, vt Caroli Quarti iras poſſet deſpicere.* Scio fuiſse eiuſmodi

Principem, qui non ſolùm cum optimis conferri; ſed etiam inter optimos numerari debeat. Sed quid hoc ad rem? Illa animi bonitas, quâ ſalutarem omnibus potentiam tractauit, ſecurum eum ſaluumque præſtitit. Magnam Procerum partem in ſocietatem attraxit: inimicorum gladios in vaginâ continuit. Non ideo tamen Carolus Quartus, cum nocere non poſſet, odiſſe deſierat. Impotens ille animus, ſummæ fortunæ imminens manſueſcere non poterat. Hæc ſanè cauſa fuit, quod ad Comitia illa Nurembergenſia Bauari non acceſſerint; quod Aureæ Bullæ non refragarentur; quod iniurias ſuas metu concoxerint; quod molliora tempora expectare maluerint, quàm in perplexo iſto rerum articulo, ius ſuum fruſtra experiri. Satis ſciebant non auferri, quod differretur; non perire, quod non perdiderant.

At, inquis, ius veſtrum negligentiſſimè habuiſtis. Serò iam, & fruſtra querimini.

mini. Lapſu temporis eſt præſcriptum. Reſponſum eſt decimo ſeptimo loco ad hoc argumentum: nempe, cum malâ fide non currere præſcriptionem. Illa, inquis, defenſio me minimè mouet: *Vaniſſima eſt, & iuriſconſulto indigna.* Modeſtè, modeſtè Bone Vir. Ita latra, ne tamen mordeas. Quæ eſt iſta proteruia? quæ arrogantia? Scis quos petas? quos contemnas? quibus inſultes? Illi ipſi ſunt, illi inquam iuriſperiti, quos honoris causâ paullò ante nominaui; quorum ingenio quotidie vteris; quorum ſcripta præſentes admirabantur, nos reueremur, poſteri ſuſpicient. Hi ſunt, qui malam fidem remouerunt à præſcriptione: Vis te cum his conferre? Vis iudicium eorum tuum anteponere? Metire obſecro ingenium tuum, animi tui ſupellectilem excute, vt intelligas quàm ſit anguſta: quàm altè ſupra te ſtent, quos cum faſtu videris deſpicere. Negas ergo malam fidem nihil poſſe ad impediendam præſcriptionem? Nego

proſus

prorſus, inquis, hoc caſu, vbi non quæritur de longâ vel longiſſimâ præſcriptione: ſed de præſcriptione immemoriali. Hæc enim ſe ipsâ contenta eſt; non eget adminiculo comitatus ſine quo cæteræ præſcriptiones non exeunt. Sibi ipſi viam ſternit, titulum non requirit, bonam fidem non deſiderat. Itane verò? bonam fidem non deſiderat immemorialis præſcriptio? Quare igitur Pontifex toties inculcat præſcriptionem cum malâ fide nullo vnquam tempore procedere? l Putas ab illâ regulâ exceptam eſſe præſcriptionem immemorialem? Pontifex tamen generaliter loquitur de quacumque præſcriptione. Hoc mirum videtur tibi? Cur igitur Pontifex hoc conſtituit? Nunquid malitijs hominum voluit occurrere? Nunquid vitijs frænum inijcere? Huic rationi conſentaneum eſt, præſcriptiones omnes pares facere. Quis enim magis peccat, is qui decem, viginti, triginta, quadraginta annis alienum ſciens poſſedit, an verò qui diutius?

l c. vlt. de præſcript. c. poſſeſſor. de regul. iur. in 6. c vigilanti eod. tit.

tius? Procul dubio qui diutius. Crescit enim perseueratione improbitas, & quò longius fertur, magis intumescit, nec ante desinit, quàm mala fides dimittatur. Quid ergo hac in parte differt, longissima præscriptio ab immemoriali? Nihil inuenies. Putas tamen hanc cum malâ fide posse currere, illam non posse. Quid hoc est aliud, inquit Didacus noster *m*, quàm fomentum quoddam sceleribus adijcere? præsidium promittere alienum inuadentibus? quos tamen lex adeo odit, & execratur, vt plectere potius velit, quàm tueri, & plenam præstare securitatem.

m Tom. 1. relect. c. possessor de regul. iur. in 6. part. 2. §. 8. n. 5

Sed quoniam iure videris contendere, & nobis obijcis legum auctoritatem, necesse est paucis respondeam. Scæuola, inquis, dixit, *qui iurisdictioni præsunt, tueri debent possessiones, quibus auctoritatem vetustas daret: tametsi ius non probaretur.* Quasi diceret, non esse quærendum quo titulo habeantur, iusto an iniusto, bonâ an

 malâ

malâ fide: sed tantum, an diuturno vsu nacti sint possessionem *n*. Cur ita? Quia inquit Pomponius *o*, *iure constituti loco habetur.* hoc est, loco tituli & priuilegij. Sed hoc secundum eundem Pomponium, ita accipiendum est, si origo memoriam excessit. Illa demum possessio præsumptione iuris subnixa est, & perinde habetur, ac si ab initio fuisset legitimè constituta. Ergo in supradictis iuris locis non est quæstio de præscriptione *q*. Quomodo enim potest esse locus præscriptioni, vbi non constat rem esse alienam? Præscriptio est adiectio rei alienæ. Vbi res aliena non est, ibi non est præscriptio. Aliæ sunt partes defensoris in re suâ: aliæ in re alienâ. In re suâ, dicit possessor suam esse iure dominij. in alienâ, fatetur ipso iure ad alium spectare; sed exceptione diuturni temporis aduersarium submouet. At verò si contendat se esse dominum: ius tamen suum probare non possit, iusto titulo possedisse præsumitur, dummodo tan-

n l. si quis diuturno D. si seruit vindic.
o l. hoc iure §. ductus D. de aqua quot. tid. & æstiu.
p d. §. ductus.
q Molinæ ad consuetud. Parisi. tit. 1. § 12. in verb. præscription n. 17.

to

to tempore possederit, vt origo eius memoriam excedat. Et hoc est quod traditur in supradictis iuris locis. Quæstio est ibi de tituli præsumptione. Quoties enim non constat de initio possessionis, constituti loco habetur, & legitimus titulus præcessisse intelligitur *r*. Sed hæc mera est præsumptio. Ideoque si de origine appareat, aliter dicendum est. Præsumptio enim ex temporis vetustate introducta cedit veritati *s*. Et tunc, non habet aliud quo se tueatur possessor, nisi recurrat ad opem præscriptionis. Sed præscriptio est exceptio, quæ non datur malæ fidei possessori. An etiam si memoriam hominum excesserit possessio? Ita dico etiam si excesserit, secundum veram & communem sententiam, vt inquit Alexander *t*. Præscriptio enim illa cuius origo in lucem prodijt, non est immemorialis propriè dicta *u*. Immemorialem propriè dicimus, cuius origo obscura est. Si non sit obscura origo, tametsi excedat memoriam viuen-

r Andr. de Iserni. & Matt. de Afflict. ad constitut. Neapolit. quadragenalem tit. de præscript.

s c. veritati distinct. 8. Molinæ. de vsur quæst. 18. n. 192.

t Ad l. cum alijs C. iure delib.

u Philipp. Francus n. 15. & Doct. ad c. 1. de præscrip. in 6. Balb de præscript. 2. part 3. part. principal.

quæst. 6 n. 24. Crauetta de antiquit. tempor part. 4. § materia n. 4. VVesenbech. consil. 103. n. 34.

viuentium, memorialis est præscriptio, non immemorialis. Eodem igitur loco habenda est quo cæteræ præscriptiones: quarum nulla ad exitum venit, cum à bonâ fide sciungitur. Tuetur prætor vetustissimam possessionem ope præsumptionis cum de origine non apparet: nec refragatur ei Pontifex hac in parte. Sed si appareat de origine, nec tuetur Prætor ope præsumptionis, nec Pontifex ope præscriptionis quoties cum malâ fide possessio coniuncta est; tametsi ius ciuile ei refragetur *x*. Cedat enim necesse est ius ciuile Canonum sanctitati, vbi de peccato quæritur. In summâ igitur, vetustas temporis valet ad præsumptionem iusti tituli, si de eo non constet: non valet sine bonâ fide ad præscriptionem. Quid ergo? Potest'ne Bauarorum ius elisum esse temporis vetustate? Age verò, responde si tibi videtur: vis vti vetustate temporis ad tituli præsumptionem, an ad præscriptionem? Non potes ad præsumptionem, cum de

x l. 4. C. de præscript. 30. vel 40. annor.

de vitiosâ veſtrâ origine conſtet. Non potes etiam ad præſcriptionem, cum mala veſtra fides palam arguatur.

Sed tu non curas malam fidem. Videntur tibi bardi & ſtupidi, qui dixerunt præſcriptionem immemorialem non procedere cum malâ fide. Tolerabile vtcumque eſſet, ſi diceres iuriſperitorum auctoritati credere non oportere. Illud verò nullo modo ferre poſſum, quod clariſſimos viros inſcitiæ atque ſtultitiæ accuſes. Quid? annon hæc ſententia communi calculo recepta eſt? Scio quidem non deeſſe qui contradicant. Quid enim apud nos tam certum, vt omnibus placeat? quandoquidem ita comparatum ſit, vt Academia vnicuique liberum fecerit, exercere ingenium ſuum, vel oſtentare. Eorum tamen neque tantus eſt numerus, neque tanta auctoritas, vt cum cæteris conferri poſſit. Paucos ego ad confutandam arrogantiam tuam in medium proferam. Dixit Panormitanus z, idem quod nos dici- z. Ad c. vit. de conſtit.

 mus.

mus. Dixit Felimus *a* post glossographum *b*: Dixit Aretinus *c*, Antonius Rubeus *d*, Crauetta *e*, Franciscus Balbus *f*, Alexander *g*, Didacus Couuarruuias *h*, Matthæus de Afflictis *i*, Capucius *l*, VVesenbechius *m*, Zasius *n*, Vulteius *o*, Mynsingerus *p*, Parisius *q*, Guido Papa *r*, Antonius Gabriel *s*: dixerunt alij innumeri, & tamen omnes nomen sibi iurisconsulti vindicant. Sunt ergo omnes bardi iudicio tuo. Hoc quidem omnino non dicis: sed quod dicis idem valet. Non possunt enim indigni esse hoc titulo, nisi vt insanire dixeris, quod hunc sibi titulum immeritò adscripserint. Iterum dico, quæ est ista arrogantia? quæ temeritas, & impudentia? Immo quæ est ista insania? Sed ignoscamus hoc tibi, qui tam insignem te iurisconsultum ostendis, quàm historicum. Redeo ad tuum argumentum. *Si per errorem, inquis, de alienis fundis quasi de communibus, iudicio communi diuidundo accepto,*

a Ad c. cum nobis de præscript.
b Ad c. 1. de præscript.
c Ad §. furtiuæ Initit. de actionib.
d Consil. 13. n. 14.
e Consil. 146.
f De præscri. 2. part. 3. part. princ. quæst. 6
g Loco supr. citat.
h Loco supr. citat.
i Decis Neapol. 368 n. 10.
l Decis Neapol. 4.
m Consil. 148 n. 183. consil. 267. n. 6. & 62. consil. 279. n. 11.
n Consil. 16. n. 51. vol. 2.
o Consil. 9. volum. 1. n. 8.
p Obseruat. 6. cent 4. & consil. 48. n 17
q Consil. 55. n. 117.
r Consil. 91. n. 5.
s Commun. opinion. lib. 5. tit. de præscript concl. 1. n. 55.

cepto, ex adiudicatione poßidere cœperim; longo tempore vſucapere poſſum t. Peracutum hoc tibi videtur. Sed iſto argumento capiantur imperiti. Cum per errorem arbiter communi diuidundo alienum mihi fundum adiudicauit, poſſum vſucapere. Quidni? habeo, inquit Accurſius, titulum adiudicationis, & per errorem poſſideo tanquam meum, ignorans alienum eſſe. Quid igitur ad rem pertinet hoc argumentum? Potes nobis oſtendere ex ſententiâ arbitri vſucapi poſſe fundum alienum cum malâ fide? Hoc eſt quod quærimus. Negamus ſine bonâ fide currere vſucapionem *u*, negamus currere præſcriptionem.

t l. ſi per errorem D. de vſucap.

u Inſtit de vſucap. in princ.

At ſubijcis; *non ſequitur Comites Palatini habuerunt ſcientiam illorum pactorum, quibus conuentum erat, vt ius eligendi Regem Romanorum vtrique & Bauaricæ & Palatinæ familiæ eſſet commune, & eueniente caſu alternatim nunc Palatinus, nunc Bauarus ſolus eligeret: Ergo Palatini Comites contrarium vſurpantes, ſunt in malâ*

fide

fide, nec vllâ etiam longißimi temporis præscriptione ſeſe tueri poſſunt. Quid ais non ſequitur? nonne illud in primis ſequitur, fuerunt in malâ fide: ergo non potuerunt præſcribere? cum ſupra à nobis effectum ſit, præſcriptionem à bonâ fide non poſſe diſiungi? Aut malam fidem diluas neceſſe eſt; aut non potuiſſe præſcribere concedas. Non fuerunt, inquis, in malâ fide quamuis habuerint ſcientiam ſupradictæ tranſactionis. Quid ita? an quia non animaduerterunt pactum alternationis in tranſactione comprehenſum? animaduerterunt, & ſæpius, & diligenter. An quia pactum illud eſt obſcurum vel ambiguum? fateris eſſe clariſſimum. Quare igitur? *Quia*, inquis, *Comitibus Palatinis vitio verti non debet, quod ſcientes prudenteſq́ publicam legem, hoc eſt, Bullam Auream, priuatæ pactioni poſtpoſuerunt.* Hæc eſt defenſio tua, quâ malam fidem conaris abſcondere. Veruntamen conceſſiſti nobis, omnes eiuſdem Electoralis familiæ Principes habuiſſe ius

ad

ad Electoratum ex promiſcuâ Germaniæ conſuetudine. Fateris eſſe de Electoratu tranſactum, eâ lege vt alternatim eligerent. Fuit igitur Bauarorum ius ante Bullam Auream radicatum: fuit auctoritate publicâ confirmatum: fuit priuatâ pactione ſtabilitum. Quomodo nunc excuſabis Palatinos Comites à vitio, Bullæ Aureæ prætextu? cum nemo ſit, qui neſciat tantam non eſſe Principis poteſtatem, vt ius ſuum alicui detrahere poſſit ſine iuſtâ & publicâ causâ? Quæro an Palatini Comites hoc ſciuerint, necne? ſi ſciuerint, fuerunt in verâ, & vt ita dicam, poſitiuâ malâ fide. Si ignorauerint, laborauerunt errore iuris reſiſtentis, & proinde in eâ fuerunt causâ, vt malæ fidei poſſeſſoribus pares habeantur. Regula enim iuris eſt, ignorantiam ſuam cuique nocere *x*: non prodeſſe acquirere volentibus *z*: in compendijs neminem excuſare *a*: nunquam in vſucapionibus poſſeſſori aſſiſtere *b*. Quid ergo intereſt, ſciuerint Palatini Comites,

x l. regula D. de iur. & fact. ignor.

z l. iuris. D. eod.

a l. error D. eod.

b l. nunquã 32. in princ. D. de vſucap.

mites, an ignorauerint, non potuisse Principem Bauaris aliquid abstrahere, quod ipsis adijceret cum alieno incommodo; cum æquè veniam non mereantur? Debuerunt scire summam hanc esse legem, quam non populus iussit, non plebs sciuit, non prætor edixit, non senatus consuluit, non prudentes respondere, non princeps constituit, decreuit, vel præcepit; sed quæ à naturâ ipsâ profecta, à ratione dictata, à iure gentium propagata, omnium hominum animis suâ sponte se insinuat. Quid ais? non habuerunt Palatini Comites conscientiam rei alienæ? Quare igitur semper vixerunt in illâ animi anxietate, vt nihil magis formidarent, atque expauescerent, quàm ne Bauari ad repetendum ius suum aliquando excitarentur? Quare semper fuerunt tam solliciti, vt non solum vias omnes aditusque præcluderent; sed etiam rimas omnes diligentissimè obstruerent, ne vllus amplius Bauaris pateret ad Electoratum accessus? Quid omnino non egerunt,

runt, quas non admouerunt machinas, vt ab introitu Bauaros excluderent? Primùm Rupertus Senior Comes Palatinus, cum nepote suo Ruperto Iuniore Adolphi fratris filio, de legitimâ Palatinorum tutelâ curâque conuenit, & à Carolo Quarto confirmationem postulauit. Quid sibi vult hæc conuentio? Quid? à legitimâ tutelâ excludit Bauaros. Quid ita? ne ad tutelam admissi reseruarent Electoratum iure retentionis. Quid actum deinde? Ludouicus Comes Palatinus Ruperti Imperatoris filius, à Sigismundo Cæsare possessionis suæ confirmationem postulauit. Et quorsum obsecro hæc confirmatio? ad excludendos Bauaros ab Electoratu; quamdiu superesset aliquis è Palatinorum familiâ. Breuiter; *hæc omnia*, inquit Freherus tuus *c*, *eò tenderunt, vt quamdiu illa Rudolphi & Rupertorum duraret progenies, Ludouiciani* (*hoc est, Ludouici Cæsaris successoribus*) *neque ad successionem Electoratus, neque ad tutelam legitimam vllus esset acces-* *c* in epistola de suscepta.

 sus.

ſus. Nega iam ſi potes, Palatinos caruiſſe malâ fide, qui nuſquam tuti, nuſquam ſecuri, tot artibus, tot machinis ſupplantare conati ſunt Papienſem tranſactionem. Dico gradatim omnes fuiſſe in malâ fide, & oſtendam. De Ruperto Seniore Rudolphi filio nemo dubitat. Ille enim cum Ludouico Cæſare Papiæ tranſegit, & ſacramento ſuo ſanxit. Succeſſorem habuit in Electoratu Rupertum Iuniorem Adolphi fratris filium. Hic autem, nonne malam ſuam fidem palam prodidit, cum de legitimâ tutelâ cum patruo conuenit? Quis verò ei ſucceſſit? filius eius Rupertus Imperator. Sed & hic vnâ cum patre patruoque ſupradictæ pactioni interueniſſe traditur. Ponamus tamen non interueniſſe: nonne paterna mala fides deſcendit in ſucceſſorem vniuerſalem? Quis deinde Electoratum excepit? filius eius Ludouicus Palatinus. Et hic ille eſt, qui à Sigiſmundo Imperatore confirmationem poſtulauit. Potuiſſet'ne planiora malæ fidei ve-

ſtigia

ſtigia imprimere? Electoratum poſtea filius eius ſuſcepit Ludouicus nomine; ſed & ad eum paterna mala fides cum hereditate deuoluta eſt. Illi ergo omnes, vt de ſequentibus ſileam, in quibus adhuc clariora emicant indicia, illi tamen omnes, vel ſuo vel paterno vitio continenter laborant, vſque ad Maximiliani Cæſaris ætatem. Quomodo igitur potuerunt præſcribere? Scilicet Bullam Auream poſtpoſuerunt Papienſi tranſactioni. Quaſi verò neſciamus quando Bulla Aurea in vſum venerit. Nego Bullam Auream Ruperti Imperatoris tempore firmatam fuiſſe. Audis quid dicam? Ruperti Imperatoris tempore Bullam Auream firmatam nego. Quæris vnde id acceperim? A Cuſpiniano accepi, qui non dicit tantum; ſed etiam aſſerit. Et ſanè ſi rata fuerit eius auctoritas, quæ, malùm, ſtultitia fuit, quod ad tot deinceps cautiones Palatini conuolauerint? Ignorauerùntne Bullam Auream? an de viribus illius dubitauerunt?

si ignorauerint, non sunt hoc titulo subnixi ad fundandam suam præscriptionem. Si de viribus eius dubitauerint, habuerunt conscientiam rei alienæ, & malæ fidei possessores fuerunt.

Denique vt veniamus ad argumentum decimum octauum, nunquid Bauari assiduò vociferati sunt atque obtestati, suas esse vices electionis secundum Papiensem transactionem? Quid respondes ad ista? Quid? opponis nobis sanctionem Bullæ Aureæ, quæ disertis verbis bonorum publicationem his minatur qui venirent contra illas constitutiones. Hoc fulmine nos deterres à querelâ, hoc metu proposito auellere te posse confidis aculeum nostræ persecutionis. At Bone Vir, nescis, non venire eum contra leges, qui de iure suo disputat? Repono tibi breuiter quod de testamentis Papinianus respondit q: *Si testamentum*, inquit, *patris iure factum filius negauerit, quoniam de iure suo disputauit, non iudicium impugnauit, retinet defuncti*

q l testmentum 14. D. de his quib. vt indig.

Eti voluntatem. Eodem modo, qui non iure factam constitutionem contendit, pœnâ legis non tenetur, nec amittit quod habet: quia legem non impugnat qui de iure suo disputat. Itaque oro te, atque obsecro, hanc curam nostri depone. Noli pro Bauaris esse sollicitus. Responde tantum quid de his obtestationibus sentias. Paucis concede, aut nega. Nam si concesseris, malam fidem vestram habebimus in confesso. Si negaueris, instruemus nos ad probationem. Quid dicis tandem? *Nullum,* ais, *actum probari posse, per quem Palatinorum Comitum possessio fuerit interrupta.* Non hoc requiro, vtrum possessio vestra interrupta fuerit. Scimus vos hactenus vsurpasse ius electionis, non quia noluerunt Bauari licentiam illam interrumpere: sed quia multis ætatibus non potuerunt. Quomodo enim interrupissent? Vi & armis? Fas non erat. Iure & legibus? Quis modus? Quæ via? Quis iudex competens? Camera Spirensis?

Nam

Nam vt demus cognitionem illam eò spectare: Necdum tamen supra Principes caput extulerat: necdum composita erant iudicia ad hodierni sæculi tranquillitatem. Illam Curiam, illud commune asylum Maximilianus Cæsar demum aperuit, vt haberet populus, vbi securè & confidenter stare, iusque suum deuoluere posset: Vbi legum administri & interpretes, sine metu potentiorum, sine respectu personarum, apertis ianuis vnumquemq; ad querelam admitterent. Antehac longè alia fuit iustitiæ facies. Principum controuersiæ ad Imperatorem deferebantur. Hic causæ cognitionem suscipiebat, hic arbitrabatur, hic iudicabat. Sed à quo Imperatore ius suum Bauari sperare poterant? A Carolo Quarto? Non poterant. Hostis erat. In perniciem eorum inflammatus, omnem suam iram contulisset in iudicium. A VVenceslao? Non poterant. Multò deterior fuit patre, & hereditario odio Bauarorum imbutus. A Ruperto? Non pote-

rant.

rant. Palatinus erat: aduerſarius erat: cauſa eius agebatur: contra ſe nunquam tuliſset ſententiam. A Sigiſmundo igitur? Non poterant. Paterna acta erubuiſset reſcindere: cognatis ſuis Palatinis confirmationem indulſerat: hoc præiudicio Bauaros damnauerat. Hactenus certè nihil æquè Bauaris proderat, quàm quieſcere, cum nulli iudici non ad nocendum ſatis animi videretur. Et ideo, ſi nihil aliud præſcriptionem veſtram remoraretur, vel hoc ſolum impedimentum ad curſum eius retinendum ſufficeret.

Superuenit quidem poſtea Fridericus Imperator, & poſt eum Maximilianus. Sed tunc Bauari (vt decimo nono loco vobis opponitur) diſcuſsâ formidine, intra proteſtationum cancellos ſe non continuere. Quid enim? progreſſi ſunt longè vlterius. Voluerunt admitti ad inueſtituram Electoratus: ſimul etiam admiſſi ſunt. Sed tu dicis inueſtituram hanc ſimultaneam continere in ſe taci-

tam conditionem, vt tunc demum vocarentur Bauari ad Electoratum, si deficeret Palatinorum linea. Nego, nego. Pura est, & simplex. Conditionem istam non agnoscimus. Noster est Electoratus æquè ac vester. Communis est vtrique absque vllâ exceptione. Quis nos à communione distraxit? Quis nos Palatinis postposuit? Quis hanc vobis prærogatiuam dedit? Quis? *ius commune*, inquis, *Iste enim subalternus ordo succedendi, in maioribus dignitatibus lege vel consuetudine seruari solet: in quibus sic vicißim succeditur, vt quamdiu existit aliquis descendens ex primogenito, etiamsi centesimo gradu distet ab vltimo defuncto, cæteris tamen agnatis præferatur.* Audio. Dicis descendentes à primogenito anteponi cæteris consuetudine vel lege. Recte, quando ipsi primogeniti lege vel consuetudine secundogenitis præponuntur. Aliàs si par sit conditio liberorum omnium, si cum primogenitis ipsi quoque secundogeniti succedant in dignitate, non possunt

primo-

primogeniti plus iuris in successores transmittere quàm ipsi habuerint: nec econtra, plus iuris successores vindicare, quàm à defuncto acceperunt. Quæro abs te, vtrum Electoralis hæc dignitas ita delata sit primogenitis, vt secundogenitis non communicaretur? Quid dicis? fuit hoc introductum consuetudine vel lege? Si dicas consuetudine, tuo te gladio iugulas. Asseruisti enim supra, ius Electoratus ante Bullam Auream commune fuisse Principibus omnibus eiusdem familiæ Electoralis, ex promiscuâ Germaniæ consuetudine. Si dicas lege: iterum quæro, quâ lege? Nam ad ius commune confugere non potes, quod iam consuetudo sustulerat. Legem aliquam des oportet quæ derogauerit huic consuetudini, quæ vim eius infregerit, & ad ius commune successiones reduxerit. Quæ est igitur ista lex? Bulla'ne Aurea? Quomodo? Potuit'ne Bulla Aurea Bauaris eripere, quod promiscua consuetudo eis detulerat? Nihil igitur leges valent, quæ

 aucto-

auctoritate Imperiali absentem de suâ possessione deijci vetant? *r* Quæ negant esse proprium Maiestatis alicui eripere quod prius habuit *s*? Quæ ius suum nemini auferri permittunt, ne absolutâ quidem Principis potestate *t*, sine iustâ causâ, causæque cognitione *u*? Quæ fuit hic iusta vel publica causa, vt eriperetur Electoratus Bauaris? Quasi verò publicè intersit, vtrum Palatini eligant Imperatorem, an Bauari. Quasi verò ex communione Electoratus, scandalum aliquod publicum, aut comitiorum impedimentum oriri possit, cum ex Papiensi transactione vnus tantum suffragium conferat. Quare noli mihi opponere auctoritatem Bullæ Aureæ priusquam ostenderis iustam causam. Nec dicas conceptam esse in concilio Principum, nisi id quoque docueris, factam esse cum causæ cognitione. Hæc omnino necessaria est, vt quis detrudi possit de suâ possessione. Quin immo, non sufficit strictim atque cursim;

r l. nec imperiale C. si per vim vel alio modo.
s Nouella 10 de referendarijs §. 1. versic. propterea.
t Menoch. remed. recuperand 8 n. 50. Crauett. de antiquit. temp. part. 1. in princip. n. 50. cum seq.
u Doct. ad l. vnic. C de prohib. sequestr.

cursim, & vt ita dicam, de plano interpositam. Plena & sufficiens exigitur. *x* Nec præsumitur ex temporis vetustate: sed probanda est legitimis testibus *z*, vel constare debet ex actis *a*. Cum ergo nihil horum à vobis doceri possit, iustè ac legitimè fecerunt Fredericus & Maximilianus Imperatores, quod hac in parte Bauaros Bullæ Aureæ non alligauerint, liberósque esse iusserint, ex quo admiserunt ad inuestituram.

Atenim, ais, *per inuestituram non traditur possessio.* Esto. Nunquid tamen in antiquis feudis ius confirmat *b*, licet alius incumbat iniustæ possessioni *c*? Fateor vos possessionem nostram per iniuriam interuertisse. Quid inde? non contendimus hìc de recuperandâ possessione: sed de remouendâ præscriptione. Dicimus diuturnam istam possessionem hac in re prodesse vobis non posse: quia mala vestra fides tam plana & perspicua est, vt nullo colore, nullo titulo, nullo prætextu queat ad-

x Ias. ad l. iudices n. 2. & 3. C. de iudic Dec. ad l. non videtur §. qui iussu D. de regul Iur.
z Panormit. ad c. 2. n. 22. de sequestr. possess. Alciat de præsumpt. reg 1. præsumpt 9. Menoch. remed. recuperand. 15 n. 405.
a Panormit. loc cit n 8. Menoch. remed. recuperand 8 n 26. 27. & 50
b zas. consil. 1. n. 24 lib. 1.
c Tiraq. n. 15. & 16. declarat. 7. part. 5. in tract. le mort saisit. le vif. VVesemb consil. 1. n. 49. volum. 1.

adumbrari. Habuiſtis ſemper in poteſtate, ſemper in manibus, ſemper ante oculos Papienſem tranſactionem. Hæc animum veſtrum perpetuò lancinauit, hæc conſcientiam veſtram continenter vellicauit & pupigit. Maiori tormento poſſediſtis Electoratum, quàm intraſtis. Cum audiretis ex aduerſo interpellantes atque obteſtantes Bauaros, ſuas eſſe vices in electione, iſta vox, iſte clamor, iſta vociferatio noua ſemper vulnera conſcientiæ veſtræ inflixit: vſque adeo, vt arbitraremini, has maculas, has cicatrices, hæc vlcera non aliter quàm Sigiſmundi Cæſaris confirmatione potuiſſe ſanari. Vidiſtis deinde Fredericum Cæſarem, vidiſtis Cæſarem Maximilianum, Bauarorum ius confirmaſſe per inueſtituram: & per conſequens hac in parte irritaſſe Bullam Auream, fundamentum veſtræ defenſionis. Quomodo igitur alieni iuris ignorantiam poteſtis obtendere? Quomodo à malâ fide excuſabimini?

Hæc

Hæc quidem ſtrictim, atque obiter à me dicuntur, prætermiſsâ illâ moroſitate diſputationis in vtramque partem, quod ſatis ſollicitè, ſatiſque accuratè, atque enucliatè ante me fecerunt, quibus propoſitum fuit hoc in negotio conſilium præſcribere. Paucis verbis malam veſtram fidem notaui, quod ſatis eſſe putarem, ſi argumentorum impetum frangerem.

Progrediamur igitur ad vigeſimum argumentum, vt ſciamus quæ conſecuta ſint poſtea. Carolus Quintus Maximiliano ſucceſſit. Forte eâ tempeſtate Comes Palatinus in comitijs Spirenſibus anno MDXLIV. inueſtituram petebat. Sed Guilielmus Bauariæ Dux ſe oppoſuit, & ius ſuum acerrimè vindicauit. Acta res eſt magnâ contentione: nulloque modo componi poterat: propterea quod hic nolebat iuris ſui iacturam facere: ille alternatiuâ electione contentus non erat. Carolus Quintus publicis negotijs diſtrictus, cognitioni cauſæ vacare non poterat.

Itaque

Itaque vtrumque ſic à ſe dimiſit, vt Palatino quidem inueſtituram traderet: Bauarô autem publico reſcripto pollicitaretur ius eius manſurum ſaluum & integrum, nullumque inde damnum aut præiudicium ſenſurum. Bone Vir quid tibi videtur? Non putas frænatum fuiſſe curſum præſcriptionis? Prudentes ſanè credunt præſcriptionem interrumpi per quemlibet actum, ſiue realem, ſiue verbalem ex quo colligi poteſt noſtra contradictio *d*. Quid contradictione Bauari manifeſtius? Non importat conſcientiam rei alienæ? Quomodo excuſari poteſt Palatinus Comes, qui in poteſtate habuit Papienſem tranſactionem, ex quâ iuſtitiam contradictionis intelligere poterat? Sed omittamus paulliſper malam iſtam fidem, quæ nunquam adeo aliena & remota fuit à Palatinorum animis, vt memoriam eius Papienſis tranſactio non reuocauerit: Nonne tamen Imperiale hoc reſcriptum præſcriptionem impedit? Potuiſtiſne præſcribere

d Balb. de præſcript. 3. part. 6. & vlt. part. quæſt. 4. n. 40. per c. auditis & ibi Innocent. n. 5. de præſcrip. & idem fuſius in c. cum Eccleſia ſutrina post gloſſ. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.

bere vbi Princeps præſcriptionem inhibuit? Quis eſt qui neget, poſſe Principem tollere præſcriptionem, & actiones tempore exituras, perpetuas facere? Conſtans eſt interpretum ſententia *e*, Principi non permitti derogare iuri, quod naturalis ratio; hoc eſt, ius gentium alicui detulit, veluti iuſtus & legitimus contractus: ne quidem abſolutâ poteſtate, niſi fortè id extorſerit neceſſitas publica, cui leges omnes ſeruire neceſſe eſt. Controuerſum eſt, an derogare poſſit iuri, quod per ciuiles actus; hoc eſt, ſententiam, vſucapionem & ſimiles alicui competit. *f* At verò in eo ferè omnes conſentiunt, auferre poſſe ius futurum atque alteri necdum acquiſitum *g*. Et proinde ex ſolâ & liberâ voluntate, abſque aliâ causâ impedire poſſe curſum præſcriptionis *h*. Quid ergo adhuc confugis ad hanc exceptionem, cum diſertis verbis reſcripti ſublatam videas?

At tu negas, illud reſcriptum. Non

e Ad vltim. C. ſi cont. ius vel vtilit. pub.

f Doct. ad l. vlt. C ſi cont. ius vel vtilit. publ Couuar. tom. 1. relect. c. poſſeſſor part. 3. §. 1.

g Doct. ad L. leges & conſtitur. C. de legib. Decia conſil. 269. colum. 14. Sauell. conſil. 135. n. 7

h l. præſcript. C. de operib. public. Georg Eurard. conſil

miror. Hunc enim morem tibi ſolemnem video, vt omnia noſtra reſcripta inficieris, à quibus cauſam tuam premi exiſtimas. Securus eſto, quærendum non eſt è Germaniâ. Extat in Archiuo Bauarico, copiam eius in promptu eſſe, nec ipſe ignoras.

Et ideo deinde addis, *ſi forte proferri poßit, non eſſe reſcriptum publicum.* Quid dicis? non eſt publicum? Cur non eſt publicum? *Quia*, inquis, *non eſt emanatum ſedente iudice pro tribunali, auditis partibus, & causâ cognitâ.* Egregia ſanè ratio, & iuriſconſulto digna. Adeone legum praxim ſtilumque ignoras, vt neſcias quomodo Imperialia reſcripta emanare ſoleant? Quis vnquam in reſcripti impetratione cognitionem cauſæ pro tribunali exegit? Eſſet'ne hoc reſcriptum, an decretum? Nihil putas intereſſe inter reſcriptum & decretum? Iuſtinianus tamen hæc ſeparauit *i*. Reſcriptum, inquit, eſt, quod Princeps per epiſtolam conſtituit:

60. volum. 1. n. 37. Angel. ad l. Lucius D de euict. & ante eum Alber. & Odofred. ad l. quoties C. de precib. Imper offer. Panormit. conſil. 84. quod refert & ſequitur Pariſ. in c. 1. n. 25. de præſcript. Pauſ. de Caſtro ad l. cum heredes in princ. D. de acquir. poſſ. Alber. Brun. conſil. 1. verſ. 2. ad prædicta. Curt. Iuni. latiſſime conſil. 1. n. 18. & 19. & conſil. 157. n. 18 Deciu. ad c. quæ in Eccleſiarũ n. 25. de conſtit. Bait. ad auth. quas actiones C de ſacroſanct. Eccleſ n. 11. & ibidem Bald. Fulgoſ. & Iaſ. n. 31.

i §. ſed & quod Inſtitut. de iure gent. natur. & ciuil.

ſtituit: decretum, quod cognoſcens decreuit. In decreto igitur exigitur cognitio cauſæ *l*: in reſcripto autem nequaquam: ſed ſola Principis epiſtola, nutuſue ſufficit. Iudex verò ad quem dirigitur, vel coram quo in litem profertur, admittere poteſt, vel refutare *m* ex iuſtâ cauſâ, auditis his quorum intereſt. Quid ergo eſt, inquies, reſcriptum publicum? Dicam. Quod munitum eſt ſigillo Principis *n*. Quare publicum? Quia maiorem habet quàm tabellionis inſtrumentum auctoritatem *o*.

Sit ita. Veruntamen ais; *hoc reſcripto nihil aliud datum eſſe, quàm vt Duces Bauariæ iudicio agant cum Comitibus Palatinis, ſi quod ius ſibi competere putauerint.* Noli obſecro deliteſcere in tam frigidâ & ieiunâ exceptione. Non vides quàm ſit hoc abſurdum? Dicis conceſſam tantum eſſe Bauaris agendi facultatem. Quaſi non potuerint agere ſine reſcripto. Non habebant igitur actionem iure conſtitutam?

l l. vlt. C. de legib.

m l. 2. C. ſi contr. ius vel vtilitat. publ.

n Felin. ad c. poſt ceſſionẽ n. 9. de prob. VVeſenbech. conſil. 331. n. 94. volum. 7.

o Crauett. de antiquit. temp. §. 2. n. 27.

Tam mehercule, quàm vos possessionem. Quid ergo fuit opus principali rescripto, vt ius suum iudicio experirentur? Crede mihi, longè aliud actum fuit. Institerat Bauarus, vt cognitionem causæ Cæsar susciperet, ne si differretur, euanesceret actio tempore exitura. Rescripsit Cæsar ius ei saluum manere & integrum. Quid hoc est aliud, quàm præscriptionem tollere? Nonne perinde est, ac si dixisset, ne sis sollicitus de præscriptione, actionem ego tuam perpetuo? Aut hoc sensisse fatearis necesse est, aut circumscripsisse Bauaros, aliudque egisse, aliud simulasse. Sed isti mores in Cæsarem non cadunt, qui beneficium nemini suum vult esse captiosum. *p* Adiuuari enim nos beneficio Principis, non decipi conuenit *q*: Nec eo vtentibus oportet illudere *r*. Quid aliud dicis, quàm illusum esse Bauarum à Cæsare, cum rescriptum hoc, relictâ præscriptione, nescio quò transfers, nec consilium eius qui rescripsit, nec rationem intueris.

p l. Paulus D de stipulat prætor.

q Specul. de rescrip. præsent. §. ratione n. 12.

r Clem. vnic. de rer permutat.

Sed

Sed tu ſententiam Principum non expendis: & ideo nobis etiam obijcis, quod Imperator Anaſtaſius *s*, *nullum reſcriptum, nullam pragmaticam ſanctionem, nullam ſacram annotationem, quæ generali iuri aduerſa eſſe videntur, in diſceptationem litigij patiatur proferri.* Neſcis profectò quid ſibi voluerit hac conſtitutione. Quid enim? Nulla igitur priuilegia Princeps concedere poteſt? Si hoc ei liceat, vt ſanè licet, quomodo in litem legitimè proferentur? cum ſint introducta contra tenorem iuris generalis? *t* Quare iudices non reijciunt, ſi Anaſtaſiana lex reſcripta omnia generali iuri aduerſa, reijcere iubeat? Dices priuilegia excepta eſſe ab iſtâ conſtitutione? Atqui reſcriptum Bauaricum merum eſt priuilegium. Quid ergo? Dices cætera priuilegia in litem proferri poſſe, hoc non poſſe? Quæ eſt ratio differentiæ? Quid intereſt inter hoc & cætera priuilegia? Iterum dico, neſcis quid ſibi voluerit hac conſtitutione Anaſtaſius Imperator. Vis

s In l. vlt. C. ſi cont. ius vel vtilit. public.

t l. ius generale C. de legib.

ſcire quid voluerit? Reſcripta contra ius generale reijci iubet, ex quibus non apparet generali iuri Principem derogare. At verò ſi adiecta ſit reſcripto clauſula, non obſtante lege *u*, vel ſi ex facto ipſo conſtet, petitum eſſe contra tenorem iuris generalis *x*: Breuiter, ſi manifeſtum ſit, ſcientem & prudentem Principem contra legem voluiſſe reſcribere, & generali iuri derogare, vt ſingulari locum faceret, non eſt in poteſtate iudicis, non dico ſuperbè, & contumeliosè reijcere; ſed ne leniter quidem, & quàm poſſet molliſſimè ac verecundè repudiare: niſi aliquo fortaſſe vitio laboret, vel ius naturæ conuellat, aut poteſtatis limites egrediatur. Parendum aliàs, & obſequendum eſt. Hactenus tamen, vt magiſtratui liceat certiorem Principem facere, damnoſum eſſe quod præſtitit, & alteram exſpectare iuſſionem *z*. Quid ſentis de hoc reſcripto? dices irritum eſſe, cum nullum vitium poſſis exprimere? Dices ius gentium infringere,

cum

u Docto. ad l. vlt. C. ſi cont. ius vel vtilit. public.
x Cyn. & alij ad d. l. vlt. Innocent. ad c. præſenti de reſcrip. in 6. Ioa. Andreas ad. c. nonnulli x de reſcript. Panormit. ad c. ad hæc. ſumus n. 7. x eod.

z Nouell. 17. cap. 4. Nouell. 137. §. 6. Bald. ad l. puniri C. ſi cont. ius vel vtilit. public. Caſtr. ſ. licet. & Iaſ. ad l. vlt. C. eod.

cum nemini ſuum auferat? Dices Principis poteſtatem excedere, cum præſcriptio iure permittente tolli poſſit? Dices non derogare iuri generali, cum ex ipſâ facti circumſtantiâ appareat, eo fine petitum, vt ſiſteret curſum præſcriptionis? Atqui hoc peti non poteſt, niſi & illud implicitè petatur, vt remoueatur obſtaculum iuris generalis, ex quo ipſa præſcriptio proficiſcitur. Quid ergo dubitas remotam eſſe in futurum præſcriptionem?

Nam de præterito tempore non laboro. Affatim textum illum præſcriptionis retexui, tibíque, ni fallor, abundè ſatisfeci. Et ſi quo adhuc ſcrupulo tenearis, adijce nunc ſi placet, quod Palatini Comites pacto cum Bauariæ Duce anno MDXXIV. conuento, purè & ſimpliciter comprobauerint Papienſem tranſactionem. Ex quo certè illud ſequitur miniſterio eius ſublatam eſſe omnem præſcriptionem: quemadmodum vigeſimo primo argumento vobis opponitur. At hic

ſtatim

ſtatim nobis occurris, ac reſpondes, confirmationem illam non complecti pactum alternatiuæ electionis in tranſactione comprehenſum: & cauſam adfers, quod Bullæ Aureæ; hoc eſt, legi publicæ priuatis pactionibus non potuerit derogari. Deſine obſecro hoc dicere. Neminem puto deinceps inuenies tam dementem, qui arbitraturus ſit, Bullam Auream hac in parte inter leges publicas ſtare poſſe, quam tot telis eo loco deiecimus, cui argumenta omnia detraximus, & nullam ab initio fuiſſe oſtendimus. Aut aliud adfer, aut concedas, non poſſe quidquam exemptum videri in generali confirmatione, de quo nominatim non conuenit.

Hæc tandem ſunt argumenta, quibus Electoratum Bauaris Gevvoldus aſſeruit, tam mehercule vera & ſolida, quàm falſa & futilia omnia quæ contra blateraſti. Noſter igitur eſt Electoratus, noſtra eſt hæc hereditas, noſtrum patrimonium. Et ideo Carolus Quintus anno MDXLVI. cum Acatho-

Acatholicis Principibus decernere coactus, & pessum eunti Imperio fortunam suam opponere, pollicitus est restituturum se Bauaris Electoratum sine causæ cognitione. Ita inquis, sed addidit exceptionem, nisi Palatinus ad religionem Catholicam, & obedientiam reuerteretur: atqui Palatinus ad obedientiam reuersus est. Respondemus hanc exceptionem tantum respicere modum restitutionis. Dixit se restituturum sine causæ cognitione eueniente conditione: tacitè insinuans, restituturum etiam se conditione deficiente; sed cum causæ cognitione. Impetrauerit igitur veniam Palatinus, in gratiam cum Cæsare redierit: iudicauit tamen Cæsar Electoratum deberi Bauaro, tametsi essent, qui proximiori lineâ agnationis Palatinum attingerent. Spectandum est, non quid Cæsar fecerit; sed quid eueniente conditione æquum esse iustumque duxerit: & vt tanquam iurisconsultus loquar, attendenda est mens, non euentus: quæ vtique non

alia fuit, quàm præferendum eſſe Bauarum cæteris omnibus. Conſequenter cum Fredericus Comes Palatinus in maiorum mores relapſus, atque etiam atrocius aliquid auſus, iure ſuo exciderit: dicendum eſt, iure meritòque feciſſe Auguſtiſſimum Cæſarem Ferdinandum Secundum, quod dilatum, quaſi promiſſum, tandem impleuerit, & Caroli Quinti iudicium ſecutus, Electoratum eò reſtituerit, vnde publicus error olim abſtulerat. Quamuis aliàs ex enormi crimine aduerſus dominum commiſſo, reuertatur feudum pleno iure ad ipſum dominum: ita vt de eo pro arbitrio ſuo poſſit diſponere (quâ de re extat vberrima & doctiſſima Diſsertatio, ad confirmandum ius noſtrum anno 1632. in lucem miſsa) hìc tamen, ſi verum volumus, nihil Bauaro Cæſar dedit. Rem domino ſuam reſtituit, vacantem poſseſſionem proprietario aſſignauit. Dic enim quidquid potes, & quantum potes, & quàm eloquenter ac magnificè potes,

noſtra tamen hæc eſt gemma, quam Otto Tertius Bauariæ inſeruit. Ex illo in poſseſſionem venimus, ex illo incumbimus. Fruſtra laborauit Carolus Quartus inde eximere. Quidquid fecit, efficere non potuit. Stabat ſecura & immota ſupra culmen poteſtatis. Eò vſque ſuprema potentia manus porrigere non poterat. Nihil legitimè, nihil ſolemniter, nihil ordine factum eſt. Non fuit illud iudicium, vis fuit. Summâ cum iniuriâ Bauaros eiecit, vt nullo iure Palatinos induceret. Flagitioſum eſt veſtrum initium, iniuſtus progreſsus, tota denique vitioſa poſseſſio.

FINIS.

CENSVRA

ELECTORATVS Bauaricus à Nobili Clarissimo & Amplissimo Viro ac Domino, NICOLAO BVRGVNDIO Iuris Vtriusque Doctore, Cæsareæ Maiestatis, Serenissimique Electoris Bauariæ MAXIMILIANI Consiliario & Historiographo, Comite Palatino necnon Codicis in hac Alma Vniuersitate nostra Ingolstadiana, Professore Ordinario conscriptus, nihil Catholicæ Religioni aduersum, nihil bonis moribus contrarium: Sed multum antiquitatis curiositatis, venustatis & doctrinæ complectitur, scrupulosque omnes discutit, qui suspectum hactenus Electoratum facere poterant, ideoque dignissimus mihi videtur, qui prælo committatur, & ad manus doctissimorum Virorum perferatur.

IOANNES FORNERVS SS[æ]. Theologiæ, & Canonum Doctor, Professor & pro tempore Rector, nec non Theologicæ Facultatis Decanus.

NICOLAI BVRGVNDI

EXPLICATIO L. LEGES ET CONSTITVTIONES VII. C. DE LEGIBVS ALLEGATÆ suprà pagin. 249. ex prælectionibus desumpta.

THEODOSIVS ET VALENTINIANVS AA. Cyro præfecto prætorio & consuli designato.

Leges & constitutiones futuris certum est dare formam negotijs, non ad facta præterita reuocari: nisi nominatim & de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotijs cautum sit. Dat. Non. April. Constantinop. Valentiniano AV. & Anatolio coss.

SEparantur hîc, vt videtis, negotia à factis. Spectandum est igitur in primis quid sint negotia, quid facta: & rursus quid sint præterita, quid pendentia, quid futura. Negotij verbum aliquando generaliter accipitur, vt complectatur & facta: aliquando specialiter, & factis opponitur. In titulo de negotijs gestis, quilibet actus alieno nomine gestus negotium dicitur: hactenus scilicet, vt sciamus, vtrùm eo nomine detur actio. Sed cùm in diuerso iure quæritur, vtrùm sit locus legi priori, an posteriori; distinguitur negotium in præteritum, pendens, & futurum: & fit relatio ad extrema, complectiturque suo ambitu plures actus, qui totum aliquod negotium constituunt.

Ita vt negotium hoc loco nihil aliud sit, quàm congregatio plurium actuum omnibus suis partibus ad finem spectans. Isti actus hoc loco appellantur facta, & constituunt partem negotij. Exemplo res fiet illustrior. Negotium mutui constat pecuniâ creditâ & vsurarum præstatione; atq; hæc sunt facta. Quin immo tot præterea sunt facta, quot vsurarum cessiones. Plerumque incipit hoc negotium per factum stipulationis, finitur per factum solutionis. Si quis autem vsuras cessas soluerit nomine debitoris sine mandato, negotium eius gessisse dicitur, atque illi competit ex eâ causâ negotiorum gestorum. *a*. si tamen superueniens lex nouum modum vsuris præstituat, non dicemus esse peractum negotium: sed factum. Et ideo vsuræ cessæ ante legem moderationi legis non subsunt: futuræ subsunt: *b* quia illud est factum præteritum, hoc futurum. Hæc sunt igitur negotia, hæc facta. Præterita negotia dicuntur, quæ ante nouam legem sunt finita. Finiuntur autem varijs modis, pro naturâ cuiusq; negotij: vtputa contractus solutione, lites iuramento, transactione, & sententiâ, judicia conclusione causæ, *c* adijciunt alij relationem superiori factam *d*, & sic de cæteris. Pendentia negotia dicuntur, quæ cœpta sunt ante legem, & non finita. Verbum autem *cœpta* cum effectu accipimus. Requirit enim præcedens factum: & quidem tale, ex quo aliquod ius oriatur. *e* Si actus sit cœptus, necdum tamen perfectus, negotium magis meditatum, quàm cœptum dicitur: quia vires adhuc non habet *f*, & tota eius essentia in futurum differtur. Pendere igitur negotium dicemus, si contractus sit formatus, necdum

a l. qui pecuniam 45. §. de negot. gest.

b l. de vsuris 17. C. de vsur.

c Nouell. 115. cap. 1.

d Io. Imol. c. vlt. de constit.

e Bart. ad l. omnes popu D. de iustit. & iur. Io. Imol. ad c. vlt. de constitut. n. 13.

hecdum tamen executus: si delata sit hereditas, necdum adita. g Contractus & delatio negotium præparant, executio & aditio consummant. Futurum verò negotium quid sit, ex his satis intelligitur. Facta autem alia sunt præterita, alia futura, nec hîc datur aliud medium. Præterita dicimus, quæ sunt finita ante legem: futura, quæ post legem. In negotio emptionis, quamprimum ex consentientium voluntate contracta est conuentio, factum hoc præteritum dicitur. solutio deinde aliud factum: sed priusquam fiat, futurum habetur. Et tot sunt facta in illo negotio, quot separati actus.

f l. contrà-ctus. C. de fid. instrum. & ibi Doct.

g Bart. ad d. l. omnes populi. & ibi. Alexand. in apostill. Io. Imol. ad d. c. vlt. n. 10.

Proximum est, vt videamus quid hoc loco constituant Imperatores. Constituunt autem duas regulas: Vna est, *Leges & constitutiones formam dare futuris negotijs.* Quod idem valet ac si dicerent, leges futuris negotijs præscribere modum, siue regulam, ex quâ scire licet, quid in ijsdem negotijs sequendum, quid fugiendum sit. Et hoc est certum. Proinde si de præterito negotio nascatur quæstio, spectandum est ius quod retrò obtinuit: Consequenter si id quod iam factum est nullum, ante legem non fuerit nullum, nullitas superueniens non efficiet quò minus præteritum negotium validum dicamus, quod secundum leges priores factum est. h Quippe lex ex naturâ suâ in futurum dirigitur. Quamuis autem de præteritis negotijs nihil apertis verbis tradatur in hac constitutione: ex sententiâ tamen satis colligimus, formam ijs non dare. Nam etsi de præterito tempore nominatim caueatur in lege: cautio tamen ista ad præterita negotia non pertinet i: sed tantùm perti-

h. Bart. ad d. l. omnes populi. Bald. Saly. Castr. & alij hoc loco.

i Bart. ad d. l. omnes populi. Bald. Sa-

net ad præterita facta pendente negotio, quemadmodum disertis verbis subijciunt Imperatores hoc loco; ita vt conditio hæc, si negotium adhuc pendeat, semper intelligatur in eiusmodi cautione. *l* Ergo si negotium amplius non pendeat; sed sit finitum, ad nullum eius factum lex reuocatur. Ex quo etiam intelligimus, non reuocari ad negotia finita. Facta enim sunt partes negotij, & simul sumpta negotium constituunt. Sed quare cautio ista ad præterita negotia non pertinet? Ratio à Panormitano *m* traditur: quòd per eiusmodi verba generalia legislator non præsumatur voluisse resuscitare negotia finita, cùm futuris legem ponere conueniat *n*. Sed hæc est mera præsumptio, vt videtis. Igitur si lex nominatim ad præterita negotia reuocetur, aliud dicendum est. At quæritur, an Princeps hoc facere posit? Et certum est posse *o*, duobus casibus: vno, si negotia præterita fundata sint super iure erroneo, & iniquo, necdumque satis definito. *p* Rectè tum quidem lex eò porrigi potest: Oportet tamen nominatim fiat. Sed & hoc circumspectè faciendum est, ne vel compositus turbetur status, vel nimijs litibus impleatur respublica. Et ideo Princeps prudenter fecerit, si adiecerit congruum moderamen & rerum, & temporis. Romani certè acta Sullæ, quamuis iniustissima rescindere timuerunt, ne proscriptorum bona possessoribus auulsa, nouorum motuum semina excitarent. Quotiescunque tamen lex nominatim trahitur ad præterita negotia, non complectitur illa, quæ sunt finita per sententiam vel transactionem *q*. Quia composita iurgia imperiali rescripto resuscitare non oportet *r* nec

præ-

ly. Castr. & alij hoc loc. gloss. ad c. licet ad verb. de cætero de elect. in 6. But. Felin. Panormit. Io. Imol. ad c. vlt. de constitut.

l. Nouell. 115. cap. 1. Cyn. hoc loc.

m. ad d. c. vlt.

n. l. diuæ memoriæ in fin C. de decurionib. lib. 10.

o Bart. ad l. vltim. C. si contr. ius vel vtilit. public. Panormit. loc. cit.

p. l. Sancimus 21. C. de sacrosan. Eccles. l. vnic. C. de cõtractib. iudic. Molinæ. ad l. quoties C. de prec. Imperat. offer.

q. l. contractus C. de fid instrum. d. l. vnic. C. de contract. iudic. Ias. & alij ad l. cau-

præteritas calumnias legibus excitare. *s* Alter casus est, si iusta causa id exegerit. Causam iustam nostri appellant, quæ principaliter respicit vtilitatem publicam *t* *s* vtputa, si regi, aut regno consulatur, si tranquillitas aliter haberi nequeat. *u* Alias Princeps facere non potest, nisi vt egrediatur limites suæ potestatis, auferendo ius alteri plenè & perfectè acquisitum, quod sine iustâ causâ non permittitur. *x* Repugnat enim iuri naturali *z*, quod non est subiectum Principis arbitrio & potestati. Sed hæc accipienda sunt de legibus, vt vocant, dispositiuis. Declaratiuæ enim leges tam præterita, quàm futura negotia ex æquo respiciunt. *a* Et ideo non continentur hac regulâ. Aiunt enim Imperatores, *formam dare.* Qui autem declarat, nihil dat; sed datum esse significat *b*: nihil noui introducit; sed introductum esse manifestat. *c*

Altera regula est, *leges non reuocari ad præterita facta.* Eâdem ratione, quâ ad negotia præterita non reuocantur: quia scilicet & facta præterita formam suam acceperunt à lege priori. Quod autem formatum est, & in esse deductum, inquit Baldus, formam amplius non desiderat. De futuris factis hoc quoque loco nominatim non cauetur. Quid tamen de his sentiendum sit, tacitè etiam Imperatores insinuant. Nam cùm dicunt, leges non reuocari ad præterita facta, satis indicant in futura dirigi. Notandum est hoc verbum, *reuocari.* Significat enim retrorsum vocari, & à proposito abstrahi, quod instituerant. Leges in futura vergunt naturâ suâ. Si igitur non reuocentur inde ad præterita facta, satis intelligimus in futura

fas. C. de trāsact. Bart. ad d. l. omnes populi.

t d. l. causas. C. de transact.

s l. diuæ memoriæ. C. de decurio. lib. 10.

z Felin. ad c. quæ in Ecclesiarum. de constit. Ias. ad l. Barbarius D. de offic. prætor. Paul. de Castr. cōsil. 178. consil. 229. consil. 287. lib. 2. Deciu. consil. 361. consil. 588.

u Afflict. decis. Neapolit. 361.

x Cyn. Salyc. Ias. & alij ad d. l. vlt. C. si cont. ius vel vtilit. publ. Bart. ad l. quoties C. de precib. imper. offer. Innoc. & canonist. d. c. quæ in ecclesiarū. Paul. de Castr. consil. 317. lib 1. Crauett. consil. 5. n. 3 &

semper procedere. Neque ea res difficultatem habet. Sed inter consultos frequentissima quæstio est, quando facta dicantur præterita, quando futura, & pars magna controuersiarum hinc pendet. Illud igitur breuiter explanandum est. Atque vt à notissimo exemplo, quo res sit lucidior, incipiam: Testator suum condidit testamentum. Alia deinde introducitur forma testamentaria. Iubetur is qui testatur suâ manu scribere nomen heredis. Hoc testator non fecit, quia cùm testaretur, non erat necessarium. Quæritur an testamentum sit validum? Et constat validum esse. l. iubemus C. de testam. ordin. Ius enim erat ante legem testatori natum, vt eâ formâ suum posset testamentum facere. Testamentum igitur eius à posteriori lege affici non potest, cùm sit factum præteritum. Elegans ratio à Iustiniano subijcitur in d. l. iubemus. *Nihil*, inquit, *peccauit testator, qui pristinam secutus est obseruationem: quia id quod futurum erat, prauidere non poterat*. Notanda est hæc ratio diligenter. Quippe ad dijudicandas quæstiones huius generis plurimum valet. vt hîc: iubetur debitor solutionem probare aduersus debitum in scriptis redactum, per apocham, vel quinque idoneos testes. Solutum est debitum ante legem. Post legem controuersia mouetur de solutione. Vult debitor probare se soluisse per duos testes. Quia factum illud est præteritum ex quo lis orta est. Contendit sibi ius natum ex solutione, quæ formam suam accepit à lege præcedente. E contra verò creditor nititur, futurum esse factum: quia probatio facienda est post legem, & pars iudicij habetur. Iudicium autem negotium est separatum ab eo, ex quo lis orta

q. item consil. 172. n. 3. Socin consil. 164. & consil. 266. lib 2.

z Panormit. ad c. 2. de reb. eccl. nō alien. Fel. ad d. c. quæ in ecclesiarū. Bart. & Fulgo ad d. l. vlt. C. si cont. ius vel vtilit. publ. Io. Faber ad §. sed & naturalia. Instit. de iur. nat. Bart. & Alex. ad l. si verberatū §. si quis. D. de rei vindicat. Bald. & Angel. ad l. 2. C de quadrien. præscrip. Cyn. & Alber. ad l. neminem C. de sacrosanct. eccles. Alex. consil. 89. & consil. 92. lib. 5. Paris de Puteo in syndicat. tit. de reg. excell.

a Ias. ad l. nō dubium C de legib. Bart ad d. l. omnes populi. Salyc. & alij hoc loc.

orta eſt. Formam igitur ſuam accipere debet à lege ſub quâ incidit. Statuit Iuſtinianus *d* probationem fieri poſſe ſecundùm priſtinam obſeruationem. Et meritò, inquit. Quare meritò? Quia nihil peccauit debitor, qui priſtinam ſecutus eſt obſeruationem in ſolutione. Captus enim eſſet, ſi teneretur probare ſecundum formam legis ſequentis; cùm id quod futurum erat præuidere non potuerit. Lex autem nulli debet eſſe captioſa. *e* Hinc Cicero *f* in Verrem inuehitur, quòd edictum quoddam in præteritum compoſuiſſet. *Quis enim*, inquit, *edicto vnquam propoſuit, quod neque poſt edictum, neque ante edictum præuideri potuit?* Econtra verò cauetur, inſtrumenta publica mandari poſſe executioni ante libellum. Scriptum eſt inſtrumentum ante legem. Tradunt noſtri *g*, illud etiam mandari poſſe executioni ſecundum legem. Quoniam executio factum eſt futurum, & diſtinctum prorſus ab obligatione. Et hîc nulla eſt captio debitoris. Nam etſi præuidiſſet, non ideo abſtinuiſſet à contractu. Contraxit enim eâ mente vt ſolueret, non vt creditori controuerſiam faceret. Eodem modo, edictum eſt, poſſeſſores bonæ fidei cum iuſto titulo poſt quinquennium inquietari non poſſe. Titius ante edictum, fundum meum triennio poſſedit, biennio autem poſt edictum: Quæſtio eſt, an ſit præſcriptus. Si coniungamus hæc tempora, verum erit, fundum meũ quinquennio poſſeſſum à Titio. Dicendum tamen eſt, non eſſe præſcriptum. *h* Separanda enim ſunt hæc tempora quæ effluxerunt ante legem, ita vt in computationem non veniant. Quia ſunt facta præterita. Præſcriptio eſt quædam exceptio. Hæc autem exceptio

b l. heredes palam §. 1. & ibi Bart. Io. Imol. Franciſ. Aretin. D. de teſtam. c. inter dilectos & ibi felin. de fid. inſtrum, Panormit. ad c. vlt. de conſtit. Iaſ. ad d. l. nõ dubiũ. Oldr. conſil. 164. Roman. conſil. 45.

c Bald. hoc loc.

d in l. teſtium C. de teſtib.

e arg. l. 2. C. de iureiur. propter calum.

f act. 3.

g Bart. ad d. l. omnes populi. Caſtr. hoc loc. Io. Imol. n. 13. & Panormit. n. 11. ad d. c. vlt. de conſtit. Anto. Butr. ad c. cum tamen de vſur.

h Bart. ad d. l. omnes populi Caſtr. & alij hoc loc. Io. Imol. ad d. c. vltim.

ptio naſcitur poſt completum legitimum tempus propter negligentiam domini. Ego verò negligentiæ accuſari non poſſum, quòd priùs non egerim: cùm ſciuerim durare ius meum in decem annos. Aliàs lex eſſet captioſa, quia ſucceſſuram eam præuidere non poteram. Quid ſi tamen poſt edictum, fundum meum Titius quinquennio poſſederit? Dicemus eſſe legitimè præſcriptum. *i* Quippe factum poſt legem incidit requiſitum ad præſcriptionem.

Sed & hoc generaliter obſeruandum eſt, quotieſcumque controuerſia naſcitur de iure, quod per legem priorem purè non acquiritur; ſed præterea miniſterium alicuius facti deſiderat, ſpectandum eſſe tempus, in quod factum incidit: & ſi inciderit ante poſteriorem legem, ius illud ab eadem lege non afficitur: ſi poſt legem, rectè afficitur. *l* Cauetur ecce, maritum lucrari dimidium dotis vxore moriente in matrimonio. Ante legem, trientem tantùm lucrari poterat: nunc ex lege lucratur dimidium. Dote ante legem datâ, vxore poſt legem mortuâ, lucraturus eſt maritus dimidium. *m* Quia hoc ius marito purè non acquiritur datione dotis: ſed morte vxoris. Ante mortem delatum ei lucrum tantùm fuit ſub hac conditione, ſi vxor præcederet: & incertum erat, an eſſet extitura conditio. Poterat enim maritus præmori. Poſt mortem demum purè acquiſitum fuit. Factum igitur eſt futurum: quia vxoris mortem deſiderauit, vt tranſiret in actionem. Eodem modo, relegati liberabantur à pœnâ ſoluendo quinquaginta: Titio relegato, iubentur poſtea præſtare centum, qui ſeſe volunt liberare. Quæritur quid præſtandum ſit Titio

i. l. bene à Zenone §. quod autem C. de quadrien. preſcrip. Bart. ad d. l. omnes populi: Bald. & Caſtr. hoc loc. Archidiac. ad c. deliberatione de offic. iudic. deleg. in 6. Felin. & Io. Imol. ad d. c. vlt. de conſt. *l*. Bart. ad d. l. omnes populi. n. 47. *m*. Bart. ad d. l. omnes populi. Salyc. ad l. cunctos populos. C. de ſumm. trinit.

tio vt liberetur, vtrùm quinquaginta, an centum. Dicendum est, centum præstare debere. *n* Quoniam futurum est factum: solutionem enim desiderat, vt ius illud purè acquiratur & in actionem transeat. Ante posteriorem legem delatum ei fuit sub hac conditione, si quinquaginta præstaret. Sed fuit ei delatum tantùm. Nam sine ministerio solutionis purè acquirere non poterat.

n. Bart. ad d. l. omnes populi. Cyn. hic loc. quāuis hic Bald. vacillet.

Quod autem diximus, leges ad præterita facta non reuocari, accipiendum est cum exceptione quæ hoc loco traditur, *nisi nominatim de præterito tempore & adhuc pendentibus negotijs cautum sit.* Duo igitur exiguntur, vt in facta præterita lex reuocetur: vnum, vt hoc ipsum nominatim exprimatur, etiam porrigi in præteritum: alterum, vt negotium adhuc pendeat. Ergo ad præterita negotia cautio hæc non porrigitur: ad præterita facta non aliter porrigitur, quàm si negotia adhuc pendeant. Facta enim pendente negotio sine graui incommodo retractari possunt: finita autem negotia sine graui partium iniuriâ retractari non possunt. Sit igitur hæc lex, Masculi præferantur fœminis in successionibus ab intestato. Hereditas delata est ante legem: post legem adhuc iacet. fœmina tamen cum masculis succedet æqualiter *o.* Quia delatio hîc est factum præteritum, & ius adeundi fœminæ retrò purè acquisitum fuit per mortem eius de cuius hereditate agitur. *p* Sed si cautum sit in eadem lege de tempore præterito, fœmina excludetur à masculis. *q* Quoniam negotium adhuc pendet iacente hereditate, quod demum consummatur per aditionem. Ergo si hereditas ante legem adita fuerit, à fœminâ auelli

o. Bart. ad d. l omnes populi. & ibid. Alexand. in Apostill. Io. Imol. & Panormit. ad d. c. vlt. de constit.

p. l. vltim. C.

non poterit: quia tunc totum negotium erit præteritum. Cautio autem iſta ad præterita negotia non porrigitur: ſed tantùm ad præterita facta: ita tamen, ſi non ſint ſopita per ſententiam vel tranſactionem. *r* Ius enim, quod ex præterito facto oritur, faciliùs aufertur. Quia cùm negotium necdum ſit executum, imperfectum adhuc eſſe intelligitur. Non debet tamen Princeps id facere, niſi publica aliqua vtilitas ſuaſerit: nempe vt conſeruet familias, quæ iam declinare cœperant, vel vt multitudini litium occurrat, vel propter aliquam eiuſmodi cauſam. Quotieſcunque tamen de præterito tempore nominatim cauet, iuſtâ cauſâ motus præſumitur. *s* Sed & hîc modum aliquem adhibere oportet, quem Iuſtinianus quoque prudentiſſimè ſeruauit in d. l. contractus C. de fid. inſtrum. Nam quod ibi ſtatuit, contractus, quos in ſcriptis fieri placuit, non aliter vires habere, quàm ſi inſtrumentum in mundum redactum, & ab vtraque parte ſubſcriptum fuerit; vult etiam locum habere in contractibus ſcriptis, necdum tamen ſubſcriptis ante ſuam conſtitutionem, præter emptionem. Cauet, vt videtis, de præterito tempore: ab eâ tamen cautione excipit contractum emptionis, tum propter eius frequentiam, vt voluit Baldus, cùm etiam maximè quod emptio ſecundum veteres leges perficiebatur nudâ conuenientium voluntate. Nec enim deſunt, qui non verentur extendere hanc exceptionem ad omnes obligationes, quæ ſolo conſenſu contrahuntur.

de boni. quæ liber.
q Bartol. Alex. Imol & Panormit. loc. citat.
r. l. contractus. C. de fide inſtrument.

s. canon. ad d c. quæ in Eccleſiarum & ibi latè Felinus. Gloſſ. Bart. & alij ad l. relegati D. de pæn. Cyn. & alij ad d. l quoties. & ad l reſcripta C. de precib imper. off. & ad l. vlt. C. ſi cont. ius vel vtil. dubl.

Pag. 1. lin. vlt. *celebritate* pag. 49. lin. penult. *ſatri* pag 167. lin. 5. dele *Rudolphum Vvelphum* pag. 172. lin. 3. *per vos*. pag. 233. in marg. *extat* pag. 255. lin. 1. *iugellari* pag. 259 *Euerhardus* pag. 270. lin. 1. *Felinus* pag. 286. lin. 6. *pupugit*.